

PALAESTRA LATINA



ANN. XL (Fasc. IV) — N. 212
M. DECEMBRI — A. MCMLXX

PALAESTRA LATINA

Trimestres litterarum latinarum commentarii Caesaraugustae edendi

Praeses: J. M. Ciller, C. M. F. *Administrator:* Henricus Arenas, C. M. F.
Moderator: Marianus Molina, C. M. F. *Curator technicus:* Jesus Aspa, C. M. F.
Praecipui scriptores: Josephus M. Mir, C. M. F.; Josephus M. Jiménez, C. M. F.

Pretium mittatur oportet ad administratorem:

San Antonio M.^a Claret, 9 — ZARAGOZA (España)

Scripta ad moderatorem: Colegio Menor, CALATAYUD (Zaragoza - España)

Constat in Hispania et America Hispanica: 80 pesetis; in Gallia: 10 francis; in Italia: 1.200 libellis; in Germania: 8 marcis; in Anglia: 15 solidis; in reliquis civitatibus, 2 dollaribus

Depósito legal Z. 191. - 1966

Editur Ordinarii et Superiorum licentia

I N D E X

ANN. XL (Fasc. IV) — N. 212

M. DECEMBRI — A. MCMLXX

L. E. SANSEGUNDO, O. S. B. <i>De ellipsis usu in epistulis M. T. Ciceronis</i>	145
J. MARINELLI, <i>De Julii Porto carmine nunc primum edito</i> ...	157
J. M. MIR, C. M. F., <i>Ciceronis specimina</i> (IV)	165
AE. PIOVESAN, <i>Quaenam Phaedri fabulae ad pueros educandos aptiores videantur</i>	169
N. MANGEOT, S. J., <i>Horis subsicivis</i>	171
BIBLIOGRAPHIA, M. Molina, C. M. F., J. M. Jiménez Delgado, C. M. F.	177
INDEX RERUM ATQUE SCRIPTORUM A. 1969 ET 1970	193

PALAESTRA LATINA

LITTERARUM LATINARUM COMMENTARIUM

A SOCIIS CLARETIANIS EDITI

ANN. XL. (FASC. IV) — N. 212

M. DECEMBRI

A. MCMLXX

DE ELLIPSIS USU IN EPISTULIS

M. T. CICERONIS

Res est non comperta nemini in scribendis epistulis homines omnium temporum liberius et minus grave dicendi genus usurpasse, quam in componenda, exempli gratia, commentatione philosophica vel publica oratione in foro dicenda. Itaque, qui litteras dat, non tam elegantem et perpolitum sermonem quam cottidianum sequitur, id est, quo uti solet, cum de re quadam cum amico colloquitur. Exinde illa Ciceronis verba: «epistularum generum unum illud certissimum esse, cujus causa inventa res ipsa est, ut certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra aut ipsorum interest» (Fam. 2,4,1). Item, in epistula ad Paetum data, loquitur in hunc modum: «Quid tibi ego videor in epistulis? Nonne plebejo sermone agere tecum? Nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistula aut iudicio aut contioni? Epistulas cottidianis verbis texere solemus» (Fam. 9,21,1).

Porro, animus est de hoc plebejo sermone, vel si malis, familiari, brevi multa percurrere, ut, cum alia, tum hoc maxime pateat, ea in epistulari genere relinqui supplenda, quae etiam in sermone facile omittebantur.

1. PROVERBIA SIVE SENTENTIAE

Atque in primis earum mentionem faciam sententiarum, quae proverbialiter dictae, verbo carent. Quae quidem omissio plerumque non ex usu quodam communi fieri solet, sed potius brevitatis causa. Sic:

Quid, si hoc melius? (Att. 7,3,2) (Cic. ep. ad Silium, 13,47).

Quid cum coram sumus et garrimus, quidquid in buccam (sc. venit)? (Att. 12,1,2).

Et similiter in ep. ad Paetum: Ibi loquor, quod in solum, ut dicitur. Cf. Att. 1,12,4 et 14,72. Ejusdem farinae sunt sequentia:

Urge igitur, nec transversum unguem, quod ajunt a stilo (sc. discede) (Fam. 7,25,2).

Ab honestissima sententia digitum nusquam (sc. discedam) (Att. 7,3,12).

Interea a Cappadocia ne pilum quidem (sc. accepi) (Att. 5,20,6).

De Octavio susque deque (sc. habeo) (Att. 14,6,1).

Omnia humana tolerabilia ducenda (Att. 12,10,1).

Consolationum multae viae, sed illa rectissima (Att. 12,11,2).

Nec caput nec pedes (Fam. 7,31,2 (*habendi* verbum desideratur).

Sed quoniam tu suscipis, in alteram aurem (sc. dormio) (Att. 13,24).

Sed heus tu, manum de tabula (Fam. 7,25,1).

Et alia hujusmodi quamplurima referre possem, quibus tamen supersedeo.

2. ELLIPSIS IN EXCLAMATIONE PASSIM USURPATA

Verbum omissum est in his sententiis, in quibus acri et fervida, qui scribit, oratione utitur:

De Apollonio, qui illi di irati (sc. sint)! (Att. 4,7,1).

Sed di istos (sc. perduint)! (Att. 16,1,1).

Di hercule istis! (Att. 16,11,5).

Satius est, hic cruditate, quam istic fame (sc. perire) (Fam. 9,18,4).

Nihil expedio, nisi ut aut ab hoc tanquam Q. Mucius (sc. interficiar) (Att. 9,15,2).

Male de Seio! (Att. 12,10,4).

O di! quam ineptus, quam se ipse amans sine rivali! (Q. Fr. 3,8,4).

3. SCRIBENDI VERBI OMISSIO

Cujusmodi ellipsis apud Ciceronem usitatissima est. En exempla nonnulla, ex quibus perspicuum esse puto Ciceronem fere semper brevitatis causa hoc verbum omisisse, cum id maxime ageret, ut in iis epistulis, quas amicissimis dabat, contracta et brevis esset oratio:

Si quid ego scirem, rogarat (sc. ut escriberem) (Fam. 9,6,6).

Binae mihi litterae ab Octaviano (sc. in quibus scripsit) (Att. 16,9,2).

Erat enim sic in litteris tuis (sc. scriptum) (Att. 10,16,1).

Multa omitto. Sed, quod est maxime proprium Ciceronis est ellipsis hujus verbi modo imperativo cum amicos adhortatur, ut de re quadam certiores se faciant. Verbi gratia:

Tu modo quam saepissime ad me aliquid (sc. scribe) (Att. 4,6,4).
 Haec igitur, si habebis, et talia (Att. 12,27,3).
 De Bruto tamen, si quid habebis (Att. 12,44,3).
 De die tamen auctionis, si quid scies (Att. 13,27,2).
 Tu quaeso, si quid habebis novi (Att. 10,12,3).
 Tu quaeso, si quid in Hispaniis (Att. 10,13,3).
 Quaeso, quid sit mihi faciendum (Att. 11,15,1).
 Sed velim aliquando haec solutiore animo (Att. 11,6,6).
 De regina velim atque de Caesare etiam illo (Att. 14,20,2).

Item:

Haec ad te manu mea (Att. 12,31,3) (Cf. Att. 13,28,3 et 13,22,5).
 Alteris jam litteris nihil ad me de Attica (Att. 13,22,5).
 Illud optime (sc. scripsisti) (Att. 13,40,1).
 Plura enim non possum (sc. scribere) (Att. 12,33,2).
 De tertio pollicetur se deinceps, sed nihil scripsit (Att. 16,11).

Observatione digna sunt:

Sed apertius, quam proposueram (Att. 9,9,2).
 Sed plura, quam constitueram (Q. fr. 2,6,2).
 Sed quid plura! coram... (Att. 4,19,2).
 Sed haec alias pluribus (Fam. 7,30,2).
 Sed jam sciam et ad te cras (Att. 16,1,3).
 De Masone et Ligura, cum venerint (Att. 5,4,2).

Ut liquet, in his locis *scribendi* verbi oratio caret, cum re quadam uberius tractata, ad aliam quaestionem peragendam Cicero se vertit, aut omnino scribendi finem facere se dicit.

Aliquando tamen verba *mittendi* vel *dandi* idem sonant quod *scribere*; itaque saepissime omittuntur, nam sensus per se patet. Quod non tantum in iis epistulis, quas festinanter Cicero scribere, sed etiam in iis quas per otium exarare videbatur. Haec enim verba tam saepe repetita, quippe quae facile subaudiri poterant, silentio praeteribantur.

Commodas ad matrem litteras, ad te nullas (Att. 13,41,1).
 Litteras ad me quam saepissime! (Att. 16,2,6).
 Si placebit, hoccine potissimum (Att. 13,16,2).
 Quod scribo, cum absolvero (Att. 15,21,2).
 Antonius ad me ne nuntium quidem (Att. 10,13,2).

Non dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil litterarum (Att. 13,24. 37.1).

Interdum *mittendi* verbum notionem habet *dedicandi*, et quidem subaudiendum est, velut Att. 13,16,2: «Sed tamen velim scribas ad

me, primum placeatne tibi aliquid ad illum (sc. mitti), deinde, si placebit, hoccine potissimum. 15,21,2: Quod scribo, cum absolvero».

Dandi verbum in his sententiis desideratur:

Deinde Antiphonti operam (sc. dedi. Haec ellipsis apte comparatur cum verbi *faciendi* omissione (Att. 4,15,6).

Sed satis lacrimis (sc. datum est) (Att. 10,12,1).

De liberalitate, dixi (me daturum), quantum Publilius (Att. 12,7,1).

Scis, quam diligam Sciculos...: multa illis Caesar (sc. dedit) (Att. 14,12,1).

4. ACCIPIENDI ET REDDENDI VERBORUM ELLIPSIS

Neque multo minus frequens quam *scribendi* et *mittendi* (*dandi*) verbi omissio, *accipiendi* et *reddendi* verborum ellipsis est, quae, ut solet in populari sermone, omittuntur, ut celerius procedat oratio. Sicque supplenda nobis sunt in sententiis hujusmodi:

Post tuum discessum binas a Balbo —nihil novi— itemque ab Hirtio (Att. 15,8,1).

Nullas a te XI Kal.; quippe quid enim jam novi? (Att. 15,21,3).

A te scilicet nihil (Att. 15,7,1).

Interea a Cappadocia ne pilum quidem. (Att. 5,20,6). (Quod in proverbii usum abiisse nonnulli monuerunt).

At mihi ab eo nihil adhuc (sc. allatum est) (Att. 6,1,19).

Nescio quid ab eo litterularum (15,1,1; 4,3,3; 8,1).

Notandum est aliquando *afferendi* verbum desiderari in aliquibus sententiis in quibus non conjunctum est cum vocabulo «epistulae» vel «litterarum»:

Perscribe ad me, quid primus dies, quid secundus (sc. attulerit) (Att. 4,11,2).

Cras te aut causam (sc. affer) (Att. 13,29,3).

Sed tu nullosne tecum libellos (sc. attulisti. Fortase etiam: *habes*), (Fam. 16,18,3).

Balbus minor haec eadem mandata (Att. 9,11,5).

Scribes igitur, ac, si quid ad spem poteris (sc. afferre, nisi *scribere* repetere (mavis), ne dimiseris (Att. 10,13,1).

At ego statim cedo, inquam, si quid ab Attico (sc. affers, aut *habes* (Att. 16,13a,1).

5. OMISSIO DICENDI VERBI

Quam saepissime occurrit. Ideoque multa paucis comprehendam.

Jam a Plauto et Terentio dicendi verbum, cujus ellipsis certis conditionibus omni fere tempore usitator fuit quam cujusvis alius ver-

bi, omissum videre est (Cf. PLAUT. Poen. 5,2,101; Men. 4,3,33; TER. Andr. 1,1,22, cetera). Latissime autem hujus ellipsis usus in Cicero-
nis scriptis patet, paresertim in iis, quorum sermo ad familiarem
consuetudinem accedere videtur.

Atque in primis omissionem videre licet saepissime in transitione,
ubi ad aliam rem se vertit auctor, aut ubi finem facit ejus rei, de
qua adhuc locutus est. Notissimum autem est sic frequenter bre-
vissime dici: Quid? Quid igitur? Quid enim? Quid quod?

Multa profecto sunt exempla hujus locutionis:

Quid multa? (Att. 5,21,11; 7,4,3; 13,52,2; 16,9) (Cf. De senect.
21,78).

Ne multa! (Att. 6,9,1; 10,11,1) (Cf. Pro Cluent. 16).

Quid Plura? (Q. fr. 3,4,1; cet.).

Sed quid ista? (Att. 13,17).

In simili causa etiam *scribendi* verbum praetermissum esse. de-
monstravi supra, n. 3.

Perquam saepe talia leguntur:

De fratre satis (Att. 10,11,3).

Sed nimium multa de nugis (Att. 13,20,4).

De hortis satis (Att. 13,29,3).

Sed de Sabino satis (Fam. 15,20,1).

Sed hac super re nimis (Att. 10,8,10).

In primis frequens est omissio verbi *dicendi* in locutione «sed
haec hactenus». Nec vero desunt exempla, in quibus accusativus
haec deest, sed quae viris doctis in suspicionem venerunt: credo,
injuria. Sunt autem haec: Sed hactenus (Att. 5,13,1); quod idem le-
gitur Att. 13,9,1 et 14,17,2. Interdum paulo accuratius res, de qua di-
citur, significatur: Sed de ludis hactenus (Att. 15,26,2); De Appianis
hactenus (Fam. 16,24,1); Sed de domesticis rebus hactenus (Fam.
2,1,1; 3,7,4; 16,24,1).

Nonnullae hujus verbi leguntur ellipses, quae, etsi paulo duriores
videntur, tamen pro breviloquentia, qua Cicero in epistulis usus est,
nihil habent miri. Nonnulla tantum proferam:

Equites curiae bellum, non mihi (Att. 2,1,8).

Scribis enim, si in Sextilem comitia (sc. edicta sint), cito te (sc.
venturum), sin jam confecta, citius (Fam. 10,26,1).

De republica quid ego tibi subtiliter? 2,21,1. (Additum verbum
est Att. 16,13,2: De reliquo, quid ego tibi dicam?)

De me possum idem, quod Plautinus pater in Trinummō...
(Brut. 1,2,5).

Item, post «pergere» infinitivus desideratur in his: Sed pergo
praeterita (sc. commemorare) (Att. 3,15,5). Perge reliqua (Att. 4,11,1).
Quintus perguit ut ad me et Pansa scripsit et Hirtius (sc. maledicere)
(Att. 11,14,3). Haec sufficient.

Pergamus nunc ad *loquendi* et *agendi* verborum omissiones, quae plus minus ad eandem ellipsim verbi *dicendi* referuntur. Si quaeramus, haec verba num casu quodam his locis exciderint, an consulto a Cicerone silentio praetermissa sint, equidem sic mihi persuasi, ommissa haec esse a M. Tullio verba, quippe quae ex verborum contextu audiri potuerint. Cogitari enim vix potest tot sententias inter se similes scribae errore verbo carere.

En exempla:

Utrumque vero simul agi non potest, et de triumpho ambitiose
... et de republica libere (sc. loqui) (Att. 7,3,2).

Haec et ejusmodi multa (Att. 14,1,2).

Multa mecum de republica (Att. 4,9,1).

Deverti ad illum, de quo tecum mane (Att. 14,1,1).

Nonnumquam in omisso *loquendi* verbo notio inest *cogitandi*, ut voluerunt periti, qui ad TER., Andr. 1,1,55: «Egomet continuo mecum: Certe captus est», audiendum putaverunt «cogitavi». Sic, Fam. 9,7,1: Mecum ipse: «quid hic mihi faciet patri? Et Att. 16,6,2: Mehercule, mi Attice, saepe mecum:... Item Att. 9,10,2: Quam crebro illud: «Sulla potuit, ego non potero»?

Crebro autem verbum omisit Cicero, ubi, quid faciendum sibi sit, ignorat:

Qua autem aut quo, nihil sciemus (Att. 9,3,5).

Tum reliqua videbimus, id est, et quo et qua et quando (Att. 9,6,1).

Ad ea autem, quae scribis de testimonio, videbis, quid et quomodo (Att. 11,21,1).

Sed quod quaeris, quando, qua, quo, nihil adhuc scimus (Fam. 9,7,2).

Nos jam nihil nisi occulte (Att. 10,11,4).

Mihi autem scribit venire ad me se velle, ut et de suis rebus et quaedam, quae ad me pertinerent (Att. 14,20,2).

Haec illo vivo (Cic. ad Planc. 16,16 A,6.) (Apud Tacitum scriptum est Hist. 1,84: «Vos quidem istud pro me»).

Notandae sunt ellipsis ejusmodi in formula gratiarum actionis: Vettiemo velim gratias (sc. agas) (Att. 10,15,4). Ego vero austro gratias miras (Att. 16,7,5), ubi verbum similiter omisum est atque verbum *faciendi* in exemplis paulo supra allatis.

6. OMISSIO VERBORUM AUDIENDI ET VIDENDI

Venio nunc ad ommissa verba *audiendi* et *videndi*, quorum exempla plurima non in epistulis solum exstant, sed etiam in iis scriptis, quorum sermo ad familiarem stilum sive consuetudinem accedere patet. Fere semper, ne dicam semper, facile subaudiri verba possunt.

Sunt enim ellipses ejusdem farinae ac «Sed haec coram», «Sed coram», «Sed haec posterius», cet., quae apud Tullium ad sacietatem usque leguntur.

Omissio *audiendi* verbi occurrit in sententiis, quibus Cicero eum, ad quem litteras dat, certiore facit, se de re quadam vel de persona aliquid comperisse. Ejusmodi haec fere sunt exempla:

Nos adhuc Brundisio nihil (Att. 9,6,1).

Sed de illo plura coram (sc. cognoces, vel audies); nunc, quod praestat (Fam. 10,32,4).

Sed haec quoque te ex aliis malo (Fam. 12,24,2). Item: Sed haec te malo ab aliis (Brut. 1,3,3).

Vos scilicet plura, qui in urbe estis (Att. 7,3,5).

Haec omnia tu melius (sc. cognoces vel audies) (Att. 13,7,1).

Sed adhuc nihil secundi (Att. 10,12a, 2).

Ut claret ex dictis, interdum subaudiri debet notio *cognoscendi*, non solum *audiendi*.

Nonnumquam, cum ab amicis petit, ut certum nuntium sibi mittant, si quid de hac vel illa re audierint novi, Cicero in sententia condicionali *audiendi* vel *sciendi* vel *habendi* verbum omisit. Cujus ellipsis exempla sunt haec fere: Tu, si quid de Hispaniis certius et si quid aliud (sc. audieris, vel scies, vel habebis), dum adsumus, scribes... (Att. 10,8,10). *Habendi* verbum sic usurpari intellegitur ex Att. 15,4,5: Eum ad te vocabis, et si quid habebis, quod placeat, scribes. Deinde illud: Tu tamen etiam nunc mihi aliquid litterarum et maxime, si quid ab Afranio (Att. 10,9,3). Vide etiam Att. 10,8,2; 13,9,2; 13,21,2; 14,6,1.

Sed non solum ubi idem fere sonat *habendi* verbum atque *audiendi* vel *sciendi*, a Cicerone in epistulis praetermissum est, verum etiam saepius supplendum, cum sua propria vi usurpatum est, ut in his:

Sed heus tu, qui *κακῶν* esse meorum scriptorum soles, unde illud tam *ἄχρηστον* (Fam. 16,17,1).

Sed tu nullosne tecum libellos? (sc. habes vel attulisti) (Fam. 16,18,3).

Etiamne consules et tribunos plebis in biennium (sc. habebimus), quos ille voluit? (Att. 14,6,2).

(Cf. etiam Att. 15,2,4. 9,1; 16,12; Q. Fr. 3,1,3).

Denique *habendi* verbum omissum est interdum, ubi cum sustantivo conjunctum certam efficit notionem; ejusmodi sunt:

Ille iter Larinum (sc. habebat) (Att. 7,12,2).

Haec... cognovi: nihil in consulibus; nullum usquam delectum (Att. 7,21,1).

Postridie senatus frequens (sc. fuit vel habebatur), et omnes negarunt (Att. 4,1,7).

Exin senatus postridie Idus (Att. 4,3,3).

Cui ego, non posee senatum ante Kal. Jan. (sc. haberi vel cogi) (Att. 16,9,1).

Putat senatum statim (sc. haberi posse, vel cogi posse) (Att. 16,11,6).

Quod ad *videndi* verbum attinet, vel etiam *conveniendi*, saepius in epistulis Ciceronis desideratur, et cum vidisse se hunc vel illum Cicero nuntiat et cum dubitat, utrum eum, de quo scribit, visurus sit necne. Ita, exempli ergo: Quod cum e viatore quodam esset auditum, qui se diceret eum in Appia (sc. vidisse) ... (Att. 9,11,1). Quamplurima possunt afferri, quibus supersedeo.

7. VERBORUM ATTINET ET INTEREST OMISSIO

Quae quidem ellipsis propria est sermonis cottidiani; itaque frequenter occurrit cum in Plauti et Terentii comoediis tum in philosophicis Ciceronis scriptis, et maxime in epistulis. Ex multis nonnulla seligam exempla:

Quamquam quid ad me? (Att. 12,17).

Sed qui haec ad nos? (Att. 15,13,7).

Quid ad eum, qui jus dicit? (Cic. Verr. 2,1,124).

Quam bene, nihil ad rem (Att. 12,40,2).

Accedit, si quid hoc ad rem: ... (Att. 13,21,7).

Quod ad Caesarem, crebri et non belli de eo rumores... veniunt (Fam. 9,1,4).

Quod ad Pomponiam, si tibi videtur, scribas velim (Q. Fr. 3,1,7).

Quid enim tua (sc. interest)? sed viderimus (Att. 4,5,3).

Quid enim nostra victum esse Antonium (Ad Att., Brut. 1,17,5).

8. ROGANDI ET PETENDI VERBA

Hujusmodi verba raro quidem desiderantur in epistulis. Cujus ellipsis exempla si paulo accuratius consideremus, apparet omissa haec verba esse tum, cum Cicero animo perturbatus oratione concitata utebatur, aut cum alii apistulae respondens quam brevissime scribebat. Illius modi autem haec sunt, quae quidem summam breviloquentiam ostendunt, ne dicam abruptam orationem:

Binae uno die mihi litterae ab Octaviano, (sc. in quibus) nunc quidem (sc. hortatur), ut Romam statim veniam (Att. 16,9, initio).

Quod te a Bruto scribis (sc. rogari) (Att. 15,4,2).

Summa fuit, ut ille, quasi exitum quaerens, ut deliberarem (Att. 9,18,1).

Ibi ut sint omnia parata —...—; labrum si in balneo non est, ut sit (Fam. 14,20).

Quo die venies, utique cum tuis apud me sis! (Att. 4,4a).

Quo die ad me venies, tu, si me amas, apud me cum tuis maneat! (Att. 4,19,2).

Tu mihi, ut polliceris, de Tulliola mea, id est de Dolabella, perscribas (Att. 6,9,5).

9. ELLIPSIS VERBI ESSE IN ENUNTIATIS PRINCIPALIBUS

Tandem veniamus ad formas verbi esse, quae desiderantur tum in brevi iudicio tum in sententiis et proverbiiis, tum etiam in descriptionibus epistolarum. Exempla exstant plurima. Breviter de singulis:

a) *In brevi iudicio*, verbum deest, cum de re proxime antecedenti, quid iudicet is qui scribit, paucis verbis significat. Ejus modi fere sunt, quae leguntur Att. 2,19,5: Caesar me sibi vult esse legatum; honestior declinatio haec periculi. Item Att. 16,8,1: Veteranos perduxit ad suam sententiam; nec mirum. Et sic saepissime. Hos locos etiam afferam: Att. 13,41,2: Sed coram! magna enim res et multae cautionis. Att. 15,1a,1: Quid mihi jam medico (sc. opus est)? aut si opus est, tanta inopia est? Att. 4,15,6: Ne diutius pendeas, palmam tulit, sed nihil tam pusillum, nihil tam sine voce, nihil tam...; verum haec tu tecum habeto! Att. 14,3,1: Tranquillae tuae quidem litterae. Brut. 1,14,1 (Cic. ad Brut.): Breves litterae tuae! breves dico? immo nullae!

b) *In sententiis et proverbiiis* copulam saepe deesse, nemini mirum esse potest; etenim quae in proverbio aut in sententia profertur, eorum vis et notio tam est perspicua, ut verbo facile careamus. Itaque hic ellipsis usus latissime patet. Sed de formis verbi esse in proverbiiis desideratis, jam superius disputavi.

c) *In descriptionibus* verbum esse omittitur in sententia principali. Constat rerum scriptores Romanos, cum aut mores alicujus aut rei publicae statum aut regionis cujusdam naturam uberius depingebant, sive breviloquentiae causa, sive majoris gravitatis gratia, sive quod idem verbum toties iterari nolebant, cum alia omisisse verba, tum vel maxime verbum esse. Atque ejusmodi aliquid in Ciceronis epistulis saepissime exstat. Sed cum singula exempla ad verbum describere longum est, adeat lector ipsas epistulas, praesertim ad Atticum scriptas.

d) *In transitione* vero, cum breviter ad novam rem in oratione transitur saepius verbum esse desideramus; idque praecipue in epistulis, quarum dictio admodum contracta est. Exemplo sint: Att. 7,1,9: Atque haec de rebus forensibus. Redeamus domum. Brut,

1,15,12: Sed haec quidem non ita necessaria; illud valde necessarium. Fam. 12,2,2: Sed haec tolerabilia; illud non ferendum. Att. 15,26,2: Sed de ludis hactenus. Reliqua pars epistulae est illa quidem in utramque.

10. ELLIPSIS VERBI ESSE IN SENTENTIIS SECUNDARIIS

Hanc ellipsim in sex partes distribuam, ut melius clareat omisio verbi ejusque vim et rationem:

a) *In sententiis finalibus*: Att. 16,11,2: Quod vereris, ne ἀδόλεσχος mihi tu, quis minus? Att. 7,7,7: Depugna, inquis, potius quam servias. Ut quid? Att. 9,1,2: Sic enim parari video, ut Luceriam omnes copiae contrahantur, ut ne is quidem locus stabilis, sed ex eo ipso, si urgeamur, paretur fuga!

b) *In sententiis conditionalibus*: ubi haec ellipsis legitur, orationem videmus fervidam atque gravem, sententias autem contractas. Ejusmodi fere sunt: Att. 14,5,2: Sed vides magistratus, si quidem illi magistratus. Att. 13,26,1: Quod si neutrum, metuo ne... Att. 16,13b,2: Verumtamen, si pares aequae inter se, quiescendum. Fam. 9,7,1: Volebam, prope alicubi esse te, si quid bonae salutis. Att. 11,23,1: Tuas litteras exspectabam, nisi illud quidem mutari, si aliter et oportet, non video posse (sc. si aliter est atque oportet).

c) *In sententiis concessivis*, quarum dictio contracta est et brevis, interdum verbi *esse* formas desideramus: Att. 14,11,1: ...ferre non queo; etis ista jam ad risum. Att. 9,7,5: Abeamus igitur inde qualibet navigatione, etsi id quidem, ut tibi videbitur. Att. 7,1,5: Plane opus fuit, si hoc impendebat, etsi nihil miserius. Cetera.

d) *In sententiis optativis*, praesertim cum gravi oratione Cicero utitur. Vide exempla nonnulla: Att. 14,3,1: Tranquillae tuae quidem litterae, quod utinam diutius. Sic etiam saepius post *utinam* verbum scribendi, agendi, videndi audiendum est, de quibus supra jam dixi. Att. 13,48,1: Nescio quid videor exaudisse, cum diceres, te in Tusco venturum; quod utinam! iterum utinam (sc. sit vel facias). Q. Fr. 3,1,7: Atque utinam his diebus in Arpinati! Att. 2,5,2: Sic, inquam, in animo est! vellem ab initio!

e) *In sententiis relativis*: interdum Cicero verbum *esse* omisit, cum res, quae satis notae ei videbantur, leviter et paucis verbis attingebat. Inter innumera paene exempla, haec habe: Att. 4,3,3: De cujus constantia, virtute tuae verissimae litterae. Att. 6,4,1: In quo multa molesta. Att. 9,9,4: Neque tamen de te, qui maxime meus, cogitavi. Att. 10,8,9: Tulliam suavissime coluisti, cujus quidem virtus mirifica. Brut. 1,15,4: Quorum alter inconstantior, alter impior, uterque pacem metuens, inimicus otio.

f) *In sententiis causalibus* ter verbum esse desideratur: Fam. 12,30,4: «Propterea quod et orbis senatus consulibus amissis et incredibiles angustiae pecuniae publicae». Q. Fr. 1,1,14,40: «Sed quoniam primus annus habuit de hac reprehensione plurimum sermonis, secundus autem multo lenior, tertius annus ita debet esse». Hoc loco, ut saepissime, cavendum nobis est, ne putemus, Ciceronem in epistulis tam limatum dicendi genus consecrari, quali in orationibus usus est: in his, quae multis et eruditis audientibus viris habebantur, nisi perpolitam dictionem non invenias, in illis autem, quibus cum amicis tamquam secum ipso loqui solebat, ut ait ipse in ep. ad Att. 12,36,1, solutius atque liberius dicendi vel scribendi genus secutus est. Tertium exstat in ep. ad Att. 15,13,6: «Ego autem in Pompeianum properabam, non quo hoc loco quidquam pulchrius, sed interpollatores illic minus molesti».

Nunc denique quaestio est de omisso verbo composito *adesse*, quod saepius in epistulis supplendum Cicero nobis reliquit. Et quidem tam in sententiis primariis quam in enuntiatis secundariis. Ejusmodi fere haec sunt:

Ergo ad Nonas, quemadmodum dixi (Att. 13,16,2).

Quippe hominum (sc. aderant) (Att. 13,52,1).

Quod te a Bruto scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus, ut ad te ante scripsi: a. d. VI Kal (sc. adero) (Att. 15,42).

Philotimus dicitur, Idibus Sextilibus (sc. affore) (Att. 11,19,2).

De Caesaris adventu scripsit ad me Balbus non ante Kalendas Sextiles (sc. eum adfore) (Att. 13,21,6).

Quod Brutus rogat, ut ante Kalendas, ad me quoque scripsit (Att. 15,1a,5).

Atque utinam tu quoque eodem die (sc. adsis) (Att. 13,22,4).

Quintus enim altero die ajebat (Att. 16,4,1).

Sed jam contrahere vela oportet, ne in immensum cogar evagari. Ex infinita enim exemplorum copia haec pauca attulisse satis est, ut opinor. Restant tamen quam plurima, quae nilominus enumerare opus non est, ne commentatio ultra quam par est, protelari videatur.

Verum ex dictis apparuit nimirum illa «breviloquentia», quae auctoribus, etiam maxima facundia praeditis, in deliciis fuit, ac praesertim Ciceroni, qui liberiore et minus gravi dicendi genere in epistulis suis usum esse constat. Hic breviloquentia idem fere sonat ac «aurea mediocritas»: mediocritas quidem, sed «aurea», quae cordi erat aureae latinitatis auctoribus.

Nam quemadmodum additio elegantiam conciliat orationi, ita et quarundam vocum abjectio vel omissio mirifice eandem ornat. Multae apud veteres occurrunt ellipses, et aliquando excusandae potius

quam laudandae videntur. Nos, missis rarioribus, nitidiores tantum Ciceronis ellipses delibare vel recensere placuit.

Quae quidem ellipses stilum «epistularem» magna ex parte efficiunt, qui sermone cottidiano paulo accuratior, dictione vero elaborata remissior, ex tenui et venusto mixtus est. Ubique enim in tullianis epistulis elucet genus illud «dicendi moratum», qui simplicitatem et simul elegantiam redolet. Ad ejusmodi stilum efficiendum ellipses plurimum confert, quae luxuriantem verborum silvam amputare student.

Accedit quod «epistula scribitur, et alteri veluti dono mittitur». Est igitur epistula tanquam donum alteri missum, non elegantia fucata, sed concinnitate quadam confectum, vel tenuitate, ut ita dicam, gravi. Neque enim frustra appellata est epistula «colloquium scripto factum», quatenus scilicet dialogos imitatur familiares et amicorum confabulationes. Unde facile apparet stilum epistularum tenuem esse debere; nemo sane in colloquiis cothurno incedit. Verum, si tenuis, rectus etiam et venustus, quamvis omni ornatu orationis ceu veste detracto. Ejusmodi autem sunt epistolae Ciceronis, partim, ut reor, ellipsis ope. Quod si tibi non displicet, acceptum habe; sin minus placet, ignosce.

LEO E. SANSEGUNDO, O. S. B.

In Monasterio «EL PAULAR» quod inscribitur.

Ad Matritum in Hispania.

DE JULII PORTO CARMINE NUNC PRIMUM EDITO

De Julio Porto, qui, divinarum rerum studiosissimus idemque Musarus impiger ac peritissimus minister, humanitatis studia percult, jam satis est alibi actum, cum ejusdem carminum quandam syllogen, non multo abhinc tempore, repertam nuntiavimus¹. Supervacaneum tamen non videtur quam paucis commemorare eum in oppidulo Faicchio, apud Beneventum, in Italia, anno MDCCXCV, primas hausisse auras. Ipsum natale solum nobilium virorum cultum ab antiquis temporibus traditum religiose servavit; quos inter memoria digni, recentiores saltem, sunt: A. Palmieri, vulcanologus insignis, A. M. Linguiti, clarissimum medicarum artium lumen, I. Pascale, cujus nomen per orbem innotuit, quippe Institutum condidit de cancri inquirenda natura. Quibus omnibus, nec non et ceteris qui, ut brevius rem conferamus, hic omittuntur, eo magis Julium Porto anteponendum aestimamus, quo diutius indigna oblivione a suis ipsis civibus ille affectus sit. Commodissime, igitur, tanti viri, qui, praeter cetera, aetatis suae morum moderatores, non sine aliquo suo ipsius discrimine, immo vitae periculo, se praebuerit, et juris et sapientiae et artium cultus et divinorum humanorumque officiorum exemplar nobismet ipsi proponere decet.

Non minus autem operae pretium est quicquid noster scripserit memorare, dum in Telesino sacro ephebeo², apud oppidum «Cerre- tum Samniticum», ad excolendos alumnos operam affabre daret. Ejus enim scripta singulare testantur ingenium, utpote qui familiariter antiquissimi temporis exemplaribus, et graecis et latinis, maxima cum peritia ac mentis acumine sit usus. Ex omnibus ejus poematum collectionibus, quas partim in bibliothecis partim in publicis vel privatis tabulariis adhuc exstare quidam adfirmant, una tantum, paulo plus duobus milibus versuum comprehendens, intellegenda, emendanda, inlustranda nobis, paucis abhinc annis, est oculis proposita. Ad illam autem quam diligentissime ac libentissime omnes nostras contulimus curas, quas etiam conferre adhuc pergimus, omni ope nisi ad magnificum omnibus illis, si qui sint, quoscumque adhuc ingenuae disciplinae delectent, opus restituendum, quod, exculta arte, sermonis elegantia ac proprietate, divini cujusdam affla-

1. V. LATINITAS - I lib. MCMLXVIII ed.

2. Ex Campaniae civit. *Telesia* nuncup.

tus vi, exemplar, in paucis quibusdam, imitabile exstet. Hujusmodi vero operi meliorem profecto nancisci sortem contingere debebat quam ut in tantulas partes idem comminueretur, pro tempore et quadam peculiari re, cum integrum illud in lucem potius edere oporteret. Nam expositio in ordinem ducta maximum afferre commodum potest, praeterquam quod rectius totum intellegatur, ad cognoscendum etiam majore cum perceptione quibus artibus in humanitatis cultum auctor ipse gradatim profecerit. Exspectantes, interim, dum vota compleantur, ut aliqua peropportuna obveniat occasio, qua totum prodire possit Julii Porto opus, abstinere non possumus quominus aliquod carmen inspiciendum atque considerandum preponatur, quandam occasionem nacti, quae pro tempore maturior videatur. Quum, enim, quadringentesimus jam praeterierit annus, ex quo Aloisius de gentis Consagae sanguine est ortus, in quoddam Julii Porto carmen animum sponte vertimus, per quod auctori illam ejusdem optimatis Mantuani operam, ad instar purissimi herois, recollere placuit, quam summam in aegrotis sublevandis ipse dederat, annis MDXC - MDXCI, cum gravissimus morbus Romae grassaretur. Carminis titulus, ab ipso forsitan auctore exaratus, ad B. Aloisii, quem ipsum contagium corripuit, funus attinet; sed non paucae alienae res narrationi accedunt, quae poeticum Julii Porto animum allicere videntur. Eaedem, quamvis interdum non plene eventuum imagines reddant, non omnino tamen praetereundae sunt: est enim ipsius poeseos, quae quidem viros fortes praecipuam agentes partem inducit, quandam exprimendae mentis libertatem permitti, quo pluris et artis et ingenii, nec non et affectuum vis aestimetur.

Legendum, nunc demum, tibi suscipias, benevole lector, quod proponimus: ex politissima enim locutione, puram plerumque vergilianam artem imitata, certum oblectamentum te esse percepturum jure putamus.

B. ALOYSII FUNUS DESCRIBITUR *

Ereptum terris caelo invectumque supremo
 Egregium juvenem, magnis virtutibus auctum,
 Consagae claro prognatum sanguine gentis
 Concinimus. Tu, quae blande complexa merentem
 5 Sublimem aetherei vexisti ad sidera caeli,
 Virgo, fove praesensque piis adlabere coeptis.

* Sic traditus, ut ipsius Julii Porto manu exaratus, titulus videtur.

v. v. 1-4: propositio seu *protasis* (prima e tribus partibus, quibus quodque carmen epicum plerumque distinguitur).

v. v. 4-6: invocatio = hic, pro singulari auctoris statu, tantum religiosa; alicubi Calliope (una e novem Mysis) quoque invocatur. V. 4: *blande* = pro lacuna ms.

- Qua refugus late vasto fluit agmine aquarum
 Tiberis, et exundans pelago premit arva sonanti,
 Urbs surgit, populosa viris, magalia quondam,
 10 Quae e septem gemino jactantior aethera pulsat,
 Roma jugo auctoris magno de nomine nomen.
 Quid molem ingentem memorem immensasque columnas
 Turgentisque arces, et propugnacula bello
 Et templa et circos regnataque moenia caelo?
 15 Hanc multis foedam vitiis Deus aethere summo
 Despiciens, oculos subito indignatus et ardens
 Vertit et ex ira poenas petere imbibit acres,
 Protinus irarumque omnes effundit habenas.
 Jamque dies aderat nullo memorabilis aevo:
 20 Saeva dies, cum certa Deo sententia sedit.
 Corrupto caeli tractu miseranda per urbem
 Tempestas toto aetatis desaevit aestu
 Romana et patriis albescunt ossibus arva.
 Quae simul ac nostri generis praesenserat hostis,

v. 7: rei narrandae initium, quod epica communi locutione *piis adlabere coeptis* significatur.

Res praecipua, quam, ut ex ipsius carminis titulo evincitur, auctor sibi agendam suscipit, est B. Aloisii Consagae mors; quae tamen ad extremum tantum carmen explendum describitur: poeta vere, in faciendis potius nonnullis excursibus, aliquandiu moratur in pestilentia, quam vulgo dicunt, tractanda, quae Romae, anno 1590, grassabatur; at justa de causa: nam, praecipuum ejus consilium, ut jam modo diximus, id liquido esse videtur: summam manifestare operam, quam sedulus idemque incautus Aloisius, vix adulescens, dederat in miserrimis succurrendis aegrotis. Iisdem temporibus alius Deo miserisque addictus, Camillus de Lellis, Congregationem instituit, cujus nomen Infirmorum Ministri, quae brevissime in Urbe et toto fere orbe innotuit. Ex ejus typis jam tertio edita vita intellegi potest quantam plebis partem sit tam ferus morbus depopulatus. Noster Aloisius, heros inter heroes, cum morbi contagium necessario contraxisset, propius quam ut praevideri posset sepulcrum reseratum invenit.

v. 8: *pelago premit* (Aen. I, 246).

v. 9: *magalia* (Aen. I, 421; IV, 259).

v. 10: *pulsat* (Aen. X, 216) = quae locutio plerumque de curru ac jugalibus equis dicitur. Hujus versus interpretatio aliquantum dura videtur propter verborum praecisiones atque brevitatem. Italice dici potest: *la quale si eleva sino a toccare il cielo* (locutio superlata) *con due dei suoi sette colli*. Antiquitus enim Roma Quadrata, quam appellant, super Capitolinum ac Palatinum colles porrigebatur.

v. 12: ... *immensasque columnas* (Aen. I, 428).

v. 15: ... *aethere summo* (Aen. I, 223,24).

v. 20: *saeva dies aut sera dies* (= ultima dies) (Aen. IX, 482); ms. *sero, dies. Sententiae sedit* (Aen. XI, 551 et alicubi); saepius accipitur pro locutione *statutum est*.

v. 21: *Corrupto caeli tractu* (Aen. III, 138).

v. 23: *Romana et patriis...* (Aen. XIII, 36).

- 25 Exsultans animo tunc flammea lumina torsit;
 En vasto late circum immugiit antro;
 Tartarii intonuere lacus, gemuere cavernae
 Et pice torrentes atraque voragine ripae
 Concussae magno vocis tremuere fragore.
- 30 Huc iubet acciri Eumenides totamque malorum
 Terrificam excidiis inhiantem atramque cohortem,
 Talia et ardenti demens mox edidit ore:
 —Nocte satae, atroces Erebi Ditisque ministrae
 Imperii, nec non Acherontis eaeque sorores,
- 35 Gloria et inferni magnum ducis incrementum,
 Nunc opus est vobis vestris nunc viribus uti:
 Nostis Romulidem, nostri quae numinis, urbem,
 Jam cultrix olim, nunc autem infesta, superbi
 Raptoris regnum, terrae caelique tyranni,
- 40 Protulit et late victricia signa (meorum
 Atque aeterna mei, proh, probra!) crucemque per orbem,
 Auspice Loyola, jam distulit: haec modo victa
 Fraudibus ipsa meis scelerum luit improba poenas
 Aspice o quae turba virum! qui luxus et auri
- 45 Sacra fames, o quae scelerumque defanda libido!
 Hic rapere, hic turbare licet rem: fata secundant.
 Unum sed vereor: rebus ne dexter in arctis
 Consaga occurrat juvenum infensissimus Orco
 (Illustri quamvis veniat de stirpe puellus)
- 50 Atque Deo ante alios carus; motosque sedare
 Irarum fluctus caelique micantia late
 Frangere tela manu passisque ad sidera palmis
 Delinire Dei studeat dulcedine pectus.
 Esto sed occurrat; tamen hoc tentasse iuvabit;
- 55 Praeterea haud paucas vectabo ad Tartara praedas!
 Ergo, agite, o natae, vestrumque effundite virus.

v. 25: ms. *animo rex*; cum autem versus antecedens sit clausus cum verbo *hostis* (emendatum pro alio verbo parum clare scripto), ne duplum exemplar admittatur, loco *rex* adverbium adhibeatur, nempe *tunc*.

v. 26: *en vasto late ter...* = pro ms. *ter vasto late...*

v. 27: ... *gemuere cavernae* (Aen. II, 53).

v. 28: *et pice torrentes atraque voragine ripae* (Aen. IX, 105; X, 114).

v. 33: *nocte satae* (Aen. VII, 331; XII, 860) *atroces*; ms. *crudelesque*.

v. 34: ... *Acherontis eaeque*; ms. *Acherontides una*.

v. 35: ... *magnum ... incrementum* (Eclog. IV, 49).

v. 38: *jam cultrix olim, nunc autem infesta, superbi*; ms. *cultrix olim, infesta modo, si laeta superbi*.

v. 45: *scelerumque nefanda libido*; ms. *scelerum immensa libido*.

v. 51: *irarum fluctus* (Aen. IV, 532,554; XII, 831).

v. 54: *esto sed occurrat* = locutio concess. poetica.

v. 55: ... *haud paucas vectabo ad Tartara praedas* (Aen. I, 528).

- Sic placet: ite meum columen Plutonia proles,
 Ite, urbem atque orbem vestris incendite flammis.
 Sic sit, et subito Furiae velut agmine facto
 60 Jamque statim parent tenebrisque erumpere certant
 Romanasque student errare licentius auras.
 Ante alias pestis, qua non truculentior ulla,
 Eumenis, heu, quali properavit livida vultu!
 Terrificam volvens aciem, maculisque trementes
 65 Interfusa genas et toto corpore foeda
 Incedit, mediaeque minans illabatur Urbi,
 Huc illuc, et saeva ferum vomit ore venenum.
 Ac veluti incurvam flavis ubi laetus aristis
 Supposuit falcem, ventis aestate coortis,
 70 Dispersa immittit stipulis incendia messor,
 Correptis subito mediis effunditur una
 Horrida per latos acies vulvania campos;
 Rastro ille innixus flammis crepitantibus adstat;
 Haud aliter miseranda lues contagia primum
 75 Exigui celat dans se sub imagine morbi,
 Mox furit et late cladem stragemque minatur.
 Tum gravis et sociis rabido sic ore locuta est:
 —Ite alio, fidae, solam me haec cura tenebit;
 Mecum erit iste labor, magnum excidiumque parabo,
 80 Innumerasque traham vinctas ad Tartara praedas!—
 Dixerat et torvo lustravit lumine Romam.
 Mox celeres movet ipsa alas quibus inficit auras.
 Itque reditque vias toties caelumque pererrat.
 Tum terram capit, et captam aspectare videtur.
 85 Et qua Tiberis aquis ex atris gurgite ripis
 It mare praeruptum et saxis cum murmure fervet,
 Excutiens cervice angues se proluit undis
 Corrumpitque amnem, invadit mox corpora tabo.

v. 59: ... *velut agmine facto* (Aen. I, 82,424; VIII, 595).

6. 60: *jamque statim parent*; ms. *jamque parere parant*.

v. 61: ... *errare licentius auras* (Aen. VII, 557).

v. 65: *interfusa genas...* (Aen. IV, 644).

v. 66: ... *mediaeque minans...* (Aen. II, 240).

v. v. 68-72: pro consimili sententia cfr. Aen. X, 405 sqq.

v. 75: *dans se sub...* —Tum ad asperitatem verborum soni vitandam (hic, propter litteram s), tum ut magis congrua locutio sit, potest haec emendatio proponi: *sese celat sub...*

v. 77: *sociis* = aliis morbis.

v. 78: *tenebit*; ms. *vacabit*.

v. 80: *vinctas* (ms. *victas*) *ad Tartara praedas* (cfr. v. 55).

v. 86: *it mare praeruptum* (Aen. I, 246).

v. 87: *excutiens cervice angues* (HORAT. Od. II, 13,36).

- Hinc furit atque artus depascitur arida febris;
 90 Interiora uritque furens, et ubi ignea venas
 Pervadens sitis infirmos adduxerat artus
 Rursus abundabat fluidus liquor; omniaque in se
 Ossa minutatim morbo collapsa trahebat:
 Mixta senum ac juvenum densantur funera maesta;
 95 Quaeque domus gemitu magno miseroque tumultu
 Miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes
 Feminis ululant; ferit aurea sidera clamor.
 Tantumne una lues potis est afferre malorum?
 Rebus at in dubiis cuncti dum, sede relicta,
 100 Invisa trepidi certant excedere terra
 Atque alio aufugere hanc possint qua sumere vitam:
 Unus Aloisius, quo non formosior alter
 Clarior aut genere aut major pietate futurus,
 Se socium cunctis praebet facilemque ministrum
 105 Omniaque est unus miseris solatia et urbem
 Perlustrat celeri cursu atque invisere gaudet
 Quos morbi vis dira premit, quos saevius urget.
 En quid in antiquam virtutem animosque viriles
 Et patris Ignati Jesuque quid excitat ingens
 110 Nomen, et exemplum sociumque quid aemula virtus?
 Ast ubi conspexit juvenis tam multa suorum
 Funera, tam varios hominumque urbisque labores,
 Concidit atque, hominus sortem miseratus acerbam,
 Dicitur ante aram divinae matris obortis
 115 Multa illam lacrimis manibusque orasse supinis:
 — Mater, noster amor, nostrae spes una salutis,
 Funeribus Tu (namque potes), sublimior una
 Aligerum regina choris hominumque parensque,
 Exorata diu per opem, miserere tuorum
 120 Natorum, miserere urbis tam dura ferentis,
 Aut si quae tandem commissa luenda supersunt,
 Me, me adsum qui feci; in me converte dolores,
 Diva, precor; mea fraus omnis; mors una rependat
 Cunctorum vitam, et crudelia funera fratrum—
 125 Sic contra est ingressa parens (miserabile dictu!)

v. 89: *hinc furit atque artus...* (Aen. II, 215; VI, 572).

«. 90: consimilis, quodammodo, descriptio legi potest apud Lucr. de Athenarum pestilentia (cfr. Rer. Nat. VI). Quoad autem v. v. 95-97, cfr. Aen. II, 486 sqq; IV, 667; V, 140; XII, 607. Rectius *seduxerat* pro *adduxerat* (v. 91).

v. 111: ...*multa suorum funera* (Aen. II, 283; IV, 617).

v. 114: ...*ante*; ms. *atque*.

v. 122: *me, me adsum qui feci...* (Aen. IX, 427). Cfr. HORAT. Od. III, 6,1: *delicta... immeritus lues...*

v. 125: *sic contra est ingressa...* (Aen. IV, 107).

- Diva parens, oculos flectens ab imagine blandos:
 — Parce metu jam, nate oculis mihi clarior ipsis,
 Pestis habet finem fulgetque serenior aer.
 Te vero jam jamque para discedere terris
 130 Atque auctum meritis patrio succedere caelo.
 Qui plausus laudesque manent te Roma supremo
 Concilio adscribet divum cunctisque colendum
 Ante oculos ponet, patruus super addet honores
 Ipse tuis aris sertisque recentibus aureas
 135 Ornabit statuas atque ossibus oscula figet
 Perque vias laetusque feret per compita plausu—.
 Dixerat atque oculis signum dedit ille serenis.
 Quid praesens agnovit amor, qui cuncta tuetur,
 Anxius et tendens arcum pharetramque, sagittam
 140 Impulit atque suis toties bene cognita tela?
 In pia tum juvenis contorsit viscera ferrum.
 Labitur ille solo, florenti qualis in horto
 Narcissus pallens, nimio cum Sirius aestu
 Torret agros; aut immani cum turbine quassa
 145 Lilia dimittunt caput: hic jacet omnia prorsus
 Exstincto similis vultu: color effugit omnis,
 Atque olli sensim solvuntur frigore membra
 Vitaque corporeis vinclis exutaque mole
 Terrestri, tandem, liquidumque per aethera cursu
 150 Ire diu jam sueta, vias pernicibus alis
 Aetherias secat optatoque potitur Olympo.

v. 127: *parce metu* (Aen. I, 257).

v. v. 131-32: ... *supremo / Concilio* = Ecclesiae senatus? — Cfr. *Patrum / sancto concilio* (HORAT. Od. IV, 5,4).

v. 133: *ante oculos ponet... super addet honores* (ms. *proponet oculos... imponet honores*). Quid cogitemus? Numquid poeta, anxius quidem atque curam unam perpessus, Vergilianum nempe exemplar imitandi, numeros modosque neglexerit? An arbitrari alias deceat amanuensem quendam inconcinne erravisse? *Patruus* = Franciscus Consaga, primum sodalis franciscalis, etiam sui Ordinis Praepositus, deinde episcopus Cephaloediensis (1587), Ticinensis (1593), Mantuanus postremo, ubi obiit, postquam se cardinalicio atque archiepiscopali munere abdicaverat, ne Mediolanensis D. Caroli successor fieret.

v. 134: *sertisque* pro ms. *terrisque* (amanuensis videlicet error). Vocales *ea* in *aureas* accipiuntur ut diphthongus.

v. 139: *anxius et tendens*; ms. *nec mora contendens*.

v. 143: ... *cum Sirius aestu...* (Aen. III, 141; X, 273).

v. 145: *omnia* = accus. ad omnes corporis partes relatus.

v. 147: *atque olli sensim...* (Aen. I, 92; XII, 951).

Pauca vere exemplaria, quae quidem ad renovata cujusvis aetatis optimarum litterarum studia attineant, tam firmiter sapienterque antiquissimorum scriptorum vestigiis insistunt, ab ipsis Petrarcae aequalibus ad recentiores epigonos, ne de illis sextidecimi saeculi liberalium artium studiosis loquamur, a quibus quae prolata sunt non dubiam propositionem constitutura liquido confirmant ad optatum Latinitatis reditum juvandum, decimonono jam inito saeculo.

Unus ex hujus saeculi disciplinarum humanarum cultoribus fuit ipse Julius Porto: non ex illis tamen, qui sibi ipsi aliquid novi instaurandi in Latinitatis provincia facultatem faciunt; cujus novitatis poenas purus sermo, a majoribus traditus, plerumque luit. Ingenuae enim latinitatis exemplar est ipsum carmen, quod modo legendum proposuimus. Fidissimus Vergilii assecla, Julius Porto illius Mantuani arti se fere totum, ceu pedisequum imitatore, addicit; saepius vero vel ipsas sententias verbaque furatur. Quod non abstinuimus, in adnotationibus redigendis, quin candide significarem; non omnino tamen animum in eum censorio more advertimus. Quod autem maximi momenti colligi oportere arbitramur est quicquid ad ejus artem attinet: conspicua imaginum copia, quarum nulla prorsus minus quam opportuna ac vivida, sententiarum varietas ac sagacitas una cum sobrietate, versicolor excursuum descriptio.

E plerisque, quas selegimus, locutionibus, ex ipsa exquisita linguae selectione, qua Mantuanus ille jam familiarissime utebatur, satis liquet quam caute ac religiose ad illud Latinitatis poema accesserit, quam copiosa praesertim verborum modorumque poetarum facultas in ipso fuerit, adeo ut putemus penes eum illam revixisse anxietatem, qua Vergilius ipse laboraret ad Romanorum linguam vividam eandemque ingenuam servandam.

JANUARIUS MARINELLI, Professor
Via Salvator Rosa, 241
NEAPOLI (Napoli) in Italia

CICERONIS SPECIMINA

(IV)

TULLIUS s. d. Terentiae suae

(ad fam., 14,20)

Tullius, cum a Caesare amicitiae atque humanitatis significatio-
nes excepisset —ut est in epistula 14,23: «Redditae mihi tandem
sunt a Caesare litterae satis liberales»—, Romam cogitat, atque Te-
rentiae uxori commendat ut quae ad victum et valetudinem sunt ne-
cessaria, in Tusculano paret diligenter; nam ibi cum amicis se diu-
tius commoraturum arbitratur.

In hoc epistolio illa brevilocutione, epistularum maxime propria,
eminet, qua sermo familiaris vigore quodam et animi permotione
ornatur atque illustratur.

Scrispsit Cicero de Venusino [praedio]; die primo mensis octo-
bris, anno 707 ab U. c. / 47 a. Chr. n./ 60 Ciceronis vitae.

*In Tusculanum nos venturos putamus aut nonis aut postridie.
Ibi ut sint omnia parata; plures enim fortasse nobiscum erunt, et,
ut arbitror, diutius ibi commorabimur. Labrum, si in balineo non
est, ut sit, item cetera, quae sunt ad victum et ad valetudinem ne-
cessaria. Vale. Kal. octobribus, de Venusino.*

IN TUSCULANUM: praedium Ciceronis qui, ut supra dictum est,
alios quoque fundos Formiis (Palaestra Lat., 40 (1970) 23), Cumis
(Ibid., p. alibi habebat. —Tusculum ad colles Albanos situm erat,
et ab hodierna urbe *Frascati* quattuor chil(i)ometra distabat; ab urbe
autem Roma unum et viginti chil(i)ometra abest.

Ex urbium nominibus adjectiva, additis suffixis —*ānus* (*-īnus*,
-ensis, *-iensis*, *-as*), efficiuntur:

Troja	— Troj-anus	Patavium	— Patav-inus
Cumae	— Cum-anus	Lanuvium	— Lanuv-inus
Roma	— Rom-anus	Cannae	— Cann-ensis
Thebae	— Theb-anus	Carthago	— Carthagin-iensis
Tusculum	— Tuscul-anus	Caesarea	— Caesar-iensis
Formiae	— Formi-anus	Arpīnum	— Arpīn-as, ātis
Alba	— Alb-anus	Tolentīnum	— Tolentīn-as, ātis
Caesaraugusta	— Caesaraugust-anus	Aquīnum	— Aquīn-as, ātis

Ex his autem adjectivis facile substantiva neutra derivantur, qui-
bus praedium in ea urbe significatur: *Cumanum* - *Tusculanum* - *For-
mianum* - *Pompejanum* - *Albanum*.

NOS VENTUROS PUTAMUS: verba «intellegendi, existimandi, credendi, sperandi»... propositionem infinitivam postulant, i. e. infinitum cum accusativo. «Scribis te ad me venturum» CIC. *Ad fam.*, 14,3; «Eos negavit se vidisse Antonius» ID. *De or.*, 3,14,54.

AUT - AUT: *aut* notiones seu res diversas disjungit; saepe contraria, quorum unum alterum exclūdit, separat, praesertim cum iteratur (*aut - aut*): «Hic vincendum *aut* moriendum». LIV., 21,43,5. «*Aut* prodesse volunt *aut* delectare poetae» HORAT. *Ars poet.*, 333¹.

NONIS: cum epistula mense octobri —die primo— scripta sit, *nonae* die 7 habentur; cfr. PAL. LAT., 40 (1970).

POSTRIDIE: dies, qui proxime consequitur calendas, nonas, idus efferri potest accusativo cum *postridie*: «Duas epistulas accepi *postridie idus*» (CIC.) - Probat scriptores *pridie* et *postridie*, cum nominibus festorum et dierum mensis, accusativum tantum adhibent: *Pridie calendas, nonas, idus; pridie Compitalia; Postridie ludos Apollinares*» CIC. *Ad Att.*, 16,4,1.

Locutiones bene nota:

«Pridie vesperi» CIC. *Acad.*, 1,1.

«Pridie ejus diei» CAES. *B. G.*, 1,47,2.

«Pridie eum diem» CIC. *Ad Att.*, 11,23,2.

«Usque ad pridie nonas majas» CIC. *Ad Att.*, 2,11,2.

«Mane postridie» CIC. *Ad Att.* 15,1 a, 1.

«Postridie ejus diei» CAES. *B. G.*, 4,13,4.

«Postridie quam discessi» CIC. *Ad fam.*, 14,7,1².

UT SINT: locutio familiaris qua res significanter exprimitur. Usurpatur *praesens subjunctivi* cum in verbo aptae formae in *tertia* persona singularis et pluralis *imperativi* desint [*faciat - valeat - requiescat - caveat*]; neque aliud verbum [*puto - rogo - fac*] in propositione suppletur.

Sunt grammatici qui hunc imperativum *jussivum* vocent. Cfr. BASSOLS, *Sint lat.*, I, n. 345.

PLURES: est numerus pluralis substantivi *plus*, ac notionem *comparativi* - ut *plus* - secum fert: «numero, quantitate *majores; major pars; plus uno; numero multi* —qui unius numero opponuntur— [*un plus grand nombre, en plus grande quantité; plusieurs; plus d'un; plus nombreux; assez nombreux*]; neque igitur pro *multi* adhiberi potest —in quo saepe erratur—: «*Plures* esse intellego quam putaram» CIC. *Ad Att.*, 7,3,5:

«Summus dolor *plures* dies manere non potest» CIC. *De fin.*, 2,28,93.

«Quoniam plura *sunt* orationum genera» CIC. *Orat.*, 11,37.

1. ERNOUT-TH., *Synt. lat.*, & 429; LLOBERA, *Gammatica*, n. 377; ISSELÉ, *De latinorum serm.*, n. 258.

2. Cfr. LLOBERA, n. 234; ERNOUT-THOMAS, & 55, 3 (p. 42); 139 (p. 118).

«Pluribus locis» CIC. *De fin.*, 4,4,9³.

FORTASSE: ducitur a substantivo *fors* (*fortis*), quod etiam ut adverbium adhibetur, eique aliquando *sit* jungitur (*fors sit* > *forsit*); *fors* et *forsit* majore vi, addita particula *an*, augentur (*forsan* - poet.), *forsitan*), quae in universum subjunctivo efferuntur.

Fortasse a *forte* distinguas oportet; aliud enim dubitationem affert et *forse*, *per avventura* —*quizás, tal vez*— *peut-être* significat; aliud autem idem valet ac *fortuito*, *casu* [*a caso, per caso, casualmente, fortuitamente* —*casualmente, fortuitamente*— *par hasard*]; et in formulis *forte, si forte, nisi forte, num forte* usurpatur. —*Fortasse* saepius cum indicativo construitur⁴.

UT ARBITROR: hae locutiones, quae quasi parenthesi includuntur, in indicativo ponuntur, neque cum alia propositione conectuntur. Poterat dixisse: 'Arbitror nos ibi diutius *commoratu*ros esse'.

DIUTIUS: est *comparativus* adverbii *diu* (superlat. *diutissimo*). A *diu* derivantur quoque *diurnus, diutinus* (= *diuturnus*: 'qui longo tempore ducitur, protrahitur').

COMMORABIMUR: *commoror* est a *moror*: quae a *mora* ducuntur. *Morari* = 'retinere, retardare, versari'; *commororari* = 'esse, manere, versari, immorari'.

LABRUM: erat pelvis sive concha ad hominis staturam oblonga, materia vero aenea, lapidea vel lignea, quae in balnei cubiculo apponebatur, et, ex iis quae in epistula habentur, ex uno in aliud conclave portari poterat.

IN BALINEO: *balineum* —quod et *balneum*— dicitur de loco lavationis privato; *balnea, orum* aut *balneae, arum* saepius de publicis: quae voces jam ab initio a Graecis desumpta sunt —*βαλανεῖον, Τὰ βαλάνεα*—; latine proprio nomine *lavatrīna* dicebatur⁵.

UT SIT: cfr. supra in hac epistula: «*Ut sint* omnia parata».

ITEM: *item* = 'etiam, quoque (eodem modo, et ipso)' [*de même, également, aussi* —*así mismo, también*— *e anche, e così, e così pure*]. Pro adverbio *item* adhiberi potest *et, ipse, et ipsa, et ipsum*, sed in nominativo et accusativo tantum: «Locri urbs desciverat *et ipsa* ad Poenos» LIV., 29,6,1. —*Item* saepe usurpatur ut, quae supe-

3. Cfr. BERGER, *Stylistique lat.* 4, & 5, p. 61; ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol.*, s. v. *plus*.

4. Cfr. BERGER, *Stylist. lat.*, p. 5; p. 44; ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol.*, s. v. *fors*.

5. Cfr. VARR. L. L., 9, 68: «Item reprehendunt analogias, quod dicantur multitudinis nomine publicae balneae, non balnea, contra quod privati dicant unum balneum, quod plura balnea <non> dicant...; idemque item contra, primum balneum nomen et graecum introiit in urbem ibi consedit, ubi bina essent conjuncta aedificia lavandi causa, unum ubi viri, alterum ubi mulieres lavarentur; ad eadem ratione domi suae quisque ubi lavatur balneum dixerunt et, quod non erant duo, balnea dicere non consuerunt, cum hoc antiqui non balneum, sed *lavfilatrinam* appellare consuissent».

riori rei vel personae tribuimus, ad alteram quoque referamus— tunc vero *etiam* adhiberi nequit—. «Romulus augur... cum fratre *item* augure» CIC. *De div.*, 1,48,107 [NON autem: '*etiam illo augure*']⁶.

CETERA: *ceterus*, in numero singulari masculino, raro adhibetur; *cetera*, genere feminino, maxime in collectivis, ut *cetera classis*, *cetera praeda*. *Ceteri - cetera* proprie adsignificant eos qui [aut ea quae] restant aliis multis opponi —est igitur semper quaedam oppositio—; quae vero restant (= *cetera*) numero *plura* aut saltem *magna* et *praecipua* ipsa sua virtute vel qualitate esse.

Dices aptius: *praeter ceteros* QUAM: *praeter reliquos*, '*prae ceteris*'; in rebus enumerandis: *ceteri - cetera* [NON: *et cetera*]; scribe: *ceteri - cetera* [NON: «*caetera*»]⁷.

AD VICTUM: *victus*, *us* sunt *cibaria* (-orum), *annona*, 'id quod ad rationem vivendi spectat'. Ducitur a supino verbi *vivo* [*vict-* um > *victus*].

AD VALETUDINEM: valetudinis nomine, quo modo nos bene aut male habeamus, exprimimus; nam valetudo esse potest *bona*, *commoda*, *integra*, *infirmata*, *aegra*. -Ducitur a *valeo*, quocum etiam conjungitur; habes: *valens - valesco* (LUCR. - TACIT.) - *convalesco - invalesco* - (QUINTIL.) - *revalesco* (A. GELL. - OVID. - TACIT.) - *validus - valde* (*valide*) - *invalidus - praevalidus - vale* dicere - *praevalere - Valerius - Valeriana*.

KAL. OCTOBREBUS: *cfr.* PAL. LAT., 40 (1970), de ratione computandi dies mensium.

DE VENUSINO: de 'praedio' Venusino, ut videtur; nam Venusiae villam quoque habebat Tullius (*cfr.* FORCELLINI, *Onomasticon*, II, s. v. *Venusia*: quae, ut scitis, patria Horatii fuit.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

In Instituto Pontificio Altioris Latinitatis Professor

Via Sacro Cuore di Maria, 5, 00197, ROMA

6. *Cfr.* ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol.*, s. v. *ita*; BERGER, *Stylist. lat.*, & 37, *Rem.* II; PAOLI, *Scriver latino*, & 168, 5.

7. *Cfr.* PAOLI, *Scriver lat.*, & 106, p. 158; BERGER, *Stylist. lat.*, & 5, p. 71-72; & 113; *e*, p. 304; ERNOUT-MEILLET, *Dict. étymol.*, s. v.

QUAENAM PHAEDRI FABULAE AD PUEROS ERUDIENDOS ATQUE EDUCANDOS APTIORES VIDEANTUR

Potestne morum castigatores ac praesertim juvenum Phaedrus moderatores haberi? Haud dubie, sed magna adhibenda est prudentia, quia non omnes hujus poetae fabulae ad pueros atque adulescentes erudiendos aptae sunt. Nam nonnullae Phaedri narratiunculae et obscenae et omni fide carentes sunt; reliquae fabulae praeceptis monitionibusque commentari possunt.

At priusquam de Phaedri fabulis illis, quae ad puerorum mentes fingendas aptiores sint, disputemus, nobis opus est ut quandam inter hunc poetam atque Aesopum comparationem instituamus.

Aesopus fabulas suas composuit, ut generis humani mores castigaret, sed in illius fabulis, quas Phaedrus se imitatum esse aperte declarat:

«Aesopus auctor quam materiam repperit,
«Hanc ego polivi versibus senariis»,

animalia tantum, quorum et consuetudines, et vitia, et dotes nobis describuntur, semper et praecipue loquentia inducuntur. In Phaedri autem narrationibus non solum animalia, sed etiam arbores (velut de lignatore ac de securi fabula) sunt, et hoc est arborum loquentium atque argumentantium singulare documentum. Sunt quoque inanima omnia, scilicet in fabula de amphora, quam dulce Falernum, cujus «*suavis anima*» etiam nunc percipiebatur, olim compleverat. Animalia novit Aesopus, quae et considerat et amat, omissis malis hominibus quos gerere illa cogit.

In Phaedri narrationibus non animalia vivide describuntur neque eorum motus animadvertitur, sed humana vox tantum: animalium enim apologo vitae humanae usum exhibet poeta, in quo «*totam aequae vitam miscent dolor et gaudium*»: homines vere quales sunt nobis apparent: potentes semper oppressores, humiliores semper maxime gravati, viri mali atque impii semper improbi. Propter quod ex poetae pectore vehemens erumpit haec sententia: «*Nulli nocendum est!*»

Phaedri doctrina de moribus gravis atque immisericors est, tenui acerbioresque quadam dubitatione ita distincta, ut Sejanus poetam «malignum» aut saltem invisum alterum Catonem appellaret.

In primi sui libri prologo, poeta fabularum suarum duplicem causam habet: se animos recreare et optima consilia hominibus dare, simpliciter declarat:

«Duplex libelli dos est: quod risum movet
Et quod prudenti vitam consilio monet».

Nostra quidem sententia, Phaedri mens ad puerorum disciplinam pertinens quinque partibus brevi comprehendi posse facile nobis videtur: I°) Nulli nocendum; II°) Noli adfectare quod tibi non est datum; III°) Tua sorte contentus vive; IV°) Noli fictis causis innocentes opprimere; V°) Noli virtutis simulator atque invidus esse. Praecipua quinque haec sunt vitia, quae puerorum atque adulescentium animis magnopere insunt et quae usque ab ineunte aetate extirpanda et funditus tollenda sunt.

Noli nefas facere: numquam innocentes opprimas, immo vero nulli homini nocendum, quoniam scelera, aut occulta aut palam perpetrata, serius ocus luenda erunt tibi. Fraus, etiam minima, ne liceat tibi: nam melius est injustitiam impunitam dimittere, quam injusto ultori operam tuam praebere.

Sorte tua contentus esto (scilicet ex tempore vivas): nam

«Amittit merito proprium qui alienum appetit»: tuo potius habitu vitam degas, neque alienis bonis glorieris. Saepe utiliora, quae contempseris, invenis. Pauper, si dives fieri cupit, ad perniciem ruit: nam magnae divitiae malae sunt, immo vero perfidae. Ne spes delusa ad querelam recidat; noli adfectare quod non habes. Magno periculo est dives obnoxius, pauperes contra tuti sunt.

Noli superbia te jactare: qui felix potensque est ne infimos despiciat, quia nulli homini datum est «*rerum cognoscere finem*». Magna et hominum et historiae injustitia in prima narratiuncula de lupo et agno exprimitur.

Noli virtutem simulare: cerebrum non habentibus licet aliquando vulgus decipere, sed non ita se gerunt honestiores, qui ut poeta

«O quanta species ... cerebrum non habet!»

semper dicere de his, qui fallaces sunt, facillime possunt.

Homo sanae mentis esto: homines asperis mandatis non obtemperant, sed proborum virtutibus devincuntur. Liberales in peccatores, qui per occasionem fallunt, et severiores in eos, qui sua sponte ac maligne peccant, proponendi sunt semper nobis. Qui proximum suum prodere statuit, infandum fatum sibi imminentem minime ignorat. Omnes vitia nostra habemus, ergo non alienis vitiis obstupescendum est nobis: ferimus enim ante pectus peram repletam vitiis alienis et post tergum nostra gravissima.

Liberorum denique summa laus est parentibus semper et libentius obtemperare; nec quidquam, nisi proximo utile sit, facere.

HORIS SUBSICIVIS

SOCRATES ATHENIENSIIUM CULEX

Denominatio haec male sonat, sed in eum quadrat, qui eam primus adhibuit. Nam non tanti facienda sunt, quae alii de aliis dicere et judicare solent, quanti ea, quae ipse de se dicebat. Ipse, dico, qui vitam ad Delphicum oraculum: «Nosce te ipse» componebat. Erat corporis figura parum venusta, capite calvo, naso simo, oculis torpentibus. Quare non mirum est, quod adulescens Atheniensis eum cum Sileno comparavit. Nec certum vitae institutum sequebatur. Pater, statuarius, volebat ut filius se adjuvaret. Recusabat. Atque, cum a discipulis mercedem non postularet, carebat unde familiam sustentaret. Idcirco Xantippe, ipsius uxor, ira incensa aliquando aquam e fenestra in eum effudit. Ad quod ille comiter subridens respondit: «Post imbres Phoebus». Dic mihi uxorem, quae cum marito, qui officio tantopere desit, convivere velit?

Quid tandem Socrates agebat? Plateas circuibat, in gymnasiis et foris versabatur, cives obviam factos alloquebatur, sive operarium simplicem sive officialem, sive juventutis magistrum. Commode cum iis de tempestate, de cive recens mortuo, de rebus nullius momenti fabulari sciebat et iis insciis sermonem ad ea convertebat, de quibus colloqui in animo habebat. Quibus in sermonibus hac utebatur ratione. Cives obviam factos nescio de quibus rebus interrogare coepit. Qui honorificum ducebant ad interrogata respondere. Tum ipse se male intellexisse respondens, quaestionem difficiliorum ponebat. Illi ubi responderunt, ipse responsum hoc cum priore non congruere statuebat. Ita eos tamdiu urgebat, donec se quaestionem non tam lucide perspexisse faterentur, quam initio arbitrati essent. Hoc interrogandi modo haud pauci, qui se ante sapientes duxerant, post rubore suffusi se parum intellegere confiteri cogebantur. Sed cives Athenienses, quoniam nemo se insipientiae convictum esse aequo animo ferre solet, Socrati graviter succensere eumque pro pacis perturbatore habere coepere.

Huc accedit quod Socrates coram omnibus interrogare consuecebat. Eundemque, cum exempli gratia e cive aliquo amplissimo aliquid quaerebat, statim adulescentium turba cingebat et attente audiebat. Ipsi cives, quamquam multa in eum effutiebant, tamen ejus interrogationibus facetis et paulum ironicis multum oblectabantur, maxime vero juvenus. Atque, si quis civis in insipientia erat con-

victus, de convicto in cachinnos prorumpere solebat, quod ipse convictus aegerrime ferebat. Sed juvenus de hac re nihil sollicita Socratem turmatim sequebatur.

Vel homo patientissimus, cum a culice per diu impetitur, vexatur et pungitur, animal molestum tandem interficit. Nec secus Athenienses a Socrate culice vexati et morsi fecerunt. Nam anno 397 a.Chr.n. litem in perturbatorem intendebant, quod leges sperneret, juventutem corrumperet, in deos patrios non crederet, sed daemones coleret. Qua in causa Socrates ipse se culicem dicebat. Non modo non id spectabat, ut absolveretur, sed etiam ipsos iudices more culicis ludificabatur. Quapropter irrisu inflammati eum capitis damnarunt.

At Socrates mortuus adhuc vivit ejusque vox clamat. Erat enim e numero eorum, qui mortales e somno excitarent. Erat, ut ait Augustinus, «abyssus-homo», duplicem gerens personam. Sub larva Sileni verus latebat Socrates, qui novam induceret aetatem. Non sponte agebat, sed a Numine jussus, «etsiamsi in servitio, quod Deo praesto, omnium rerum inopia premar.» (Apologia). Homines vitae commoditates, oblectamenta, pecuniam diligere solent, horrent difficultates et molestias et sic veluti animalia bruta intellectuque carentia vitam ducunt. Quod etiam in Athenienses cadebat, quos e somno excitare Socrates suum esse ducebat. «Deus me huic urbi dedit, ne unquam vos monere, increpare, suscitare, cervicibus insidere desisterem.» (Apologia). «Equidem persuasum habeo vobis, Athenienses, nunquam majorem servitio meo fortunam contigisse. Servitium enim meum in eo consistit, quod, dum per urbem curso, adulescentes aequae ac senes moneo, ne corporis salutem ac bona majoris faciatis quam animam ejusque perfectionem.»

O vocem hactenus inauditam! Medio in omnium artium splendore medioque in corporum cultu quinto a.Chr.n. saeculo Socrates animae dignitatem ejusque pretium cognovit. Nonne praecursor illius, qui post exclamavit: «Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?» Id potissimum Athenienses Socrati vertebant crimini, quod deos patrios sperneret et daemones coleret. Contemnebat quidem et acriter in deos invehebatur, qui ut homines scelera patrare dicerentur; sed in Deum credebat omnis labis humanae expertem. Cujus in praesidio et tutela tuto vivebat. Sed quid «daemonium» illud notum erat? Nil aliud nisi arcana cum Deo conjunctio et consuetudo, instrumentum dico, quo vocem divinam ac jussa exciperet. Ideo daemonium «vocem prophetica» ipse vocare solebat.

Mors voluntaria animam Socratis religiosissimam miro quodam illustravit splendore. Quid de morte senserit, memoriae proditum est. Mortem nec timebat nec tamquam malum ducebat. «Nemo scit, an fortasse mors summum sit hominis bonum». (Apl. 16). «Alterutrum enim est mortuum esse; aut prorsus non esse, adeo ut mortuus nullum rerum omnium sensum habeat, aut, ut vulgus dicit, ani-

mae in locum alium migratio. Si prius, mors lucrum dicendum est... si posterius et si, quod passim creditur, verum est, Manes in eo loco versari, nulla major beatitudo inveniri potest.» (Apl. 12). «Mihi enim dulce foret Manes istic, ut olim solebam, inquirere, quales in vita fuerint, quis eorum vere sapiens et qui specie fuerit.» (Apl. 17).

Qua fisis opinione mortem aequo expectabat animo et oblatam e custodia effugiendi occasionem, sibi constans, contempsit. Eademque animi aequitas, qua venenum mortiferum sumpsit, luculentissime comprobat Socratem eam adeptum esse perfectionem, ad quam cives adducere studuit. Perpauci antiquitatis homines tam maturi animo e vita cesserunt. Socrates enim conscientiae martyr occubuit. Inde apparet ejus sapientiae amorem ac studium non nescio quod rationis exercitium fuisse, sed cum imo animi fundo conexum. Verae religionis non est virtutes Socratis metiri Evangelii norma, quod ei non cognitum erat. Nam providentia divina eum non nostra sed antiqua aetate vivere voluit et quivis Christianus gratias agere debet, si in vera religione tantum proficeret quantum ille in paganismo. Hic merito illius praeclari Kierkegard mentio est facienda: «Mundus arbitratur opus esse re publica vel novo ordine sociali; nemo autem persuasum habet opus esse mundo perturbato et nimia scientia distracto Socrate.»

DE ANTIQUITATIS MYSTERIIS

Desiderant inde ab ortu mortales quorum «cor est inquietum, donec requiescat in Domino»; deos sibi praesentes volunt eos oculis cernere, manibus tangere, cum eis epulari sortisque eorum participes fieri. Ideo templa excitare, ubi eos praesentes sentiant, statuas erigere, unde auxilium quaerant, solent. Ex hoc desiderio innato cultus mystici et antiquitatis mysteriorum fons et origo. Quae mysteria per spatii angustias paucis adumbramus.

Plato et Aristoteles nos philosophia donarunt. Alexander autem Magnus huic scientiae ex ultimis causis glaebas mollivit excipiendae. Hic orator fuit, illi satores. Graecia sapientia floruit, Oriens mysteriis, divinatione, prophetia. Cum Alexander expeditionibus aggerem, qui Orientem ab Occidenti disjungebat, subruisset, novus est ortus «mundus», quem communis conjungebat sermo, vulgo «*koiné*» appellatus; nova quoque aderat aetas: Hellenismus et omnium religionum, Judaica excepta, magna confusio, Syncretismus. Cujus maxime proprium erat redemptionis desiderium, quod tunc aetatis tot tantisque bellis, rerum eversionibus, proscriptionibus et tyrannide vix ferenda multum alebatur. Accedebat quoque memoria communis culpae a qua liberari volebant. Inde «dii soterés», quorum mysteria initiatio-

nesque homines amplectebantur, facile intelleguntur. Horum mysteriorum cultus in quattuor jure genera dividuntur: In Cybeles, Adonidis, Isidis, Mithrae. Cultus Cybeles ex Phrygia, Adonidis ex Syria, Isidis ex Aegypto, Mithrae ex Persia ortum sumpsit. In tribus prioribus habes deam et deum, Cybelen cum Attide, Atagarten cum Adonide, Isida cum Osiride. Jam paucis prosequamur.

Attis juvenis summopere a Cybele domina amabatur; sed ejus rivalitate in vesaniam actus est. Qui cultus sedem principem Pessini Galatarum habebat. Inde anno CCIV a.Chr.n., auctore Scipione, dum alterum saevit bellum Punicum, in Urbem translatus sedem sacram in monte Capitolino obtinuit: Vetabat autem cives romanos caerimoniis obscenis interesse senatus. Demum Claudius imperator cultum concessit. Quomodo celebrabatur? Idibus Martiis vigilia in Urbe. A. d. XI Kal. April. pinus sacra caedi et sollemni pompa in templum Cybeles ferri. Biduo post summa sollemnitas, «dies sanguinis», planctus Attidis summus. Cultores sese musicis saeve constrepentibus flagellare et cultris vulnerare. Nocte insequenti «resuscitatio sive epiphania» dei Attidis celebrari et statua, dum per Urbis vicos portatur, multum defleri. Sacerdotes cereis accensis cantare: «Jam animos recipite, mystae, ecce deus vester vivit et vos ab angustiis liberabimini». Firmicius Maternus memorat epulas sacras, inter quas convivae exclamabant: «Edimus ex tympano, bibimus ex cymbalo, Attide sumus initiati». Interdum «taurobolio» utebantur. Stabat candidatus initiandus in fossa subterranea et desuper cruore tauri recens mactati irrigabatur. Ideo taurobolio «se in aeternum renatum» praedicabat. Qui ritus ex baptismo christiano petitus videtur.

Isidis autem cultus in Aegypto potissimum florebat. Studebant enim reges Ptolemaei indigenas cives cum Graecis, qui immigrarant, hoc cultu artius conjungere. In Urbe ob ritus libidinosos erat interdictus, quoad Caligula imperator eum lege sanxit. Cujus cultus haec fere erat summa: Isidis deae maximus de corpore Osiridis viri discerpto planctus. Membra undique conquisita coagmentabantur et circumligabantur. Tum subito planctus in laetos de deo resuscitato mutabantur clamores. Cultus ipse exquisita sollemnitate celebrabatur. Deae simulacrum pretiosis induebatur vestimentis et ut regina colebatur. Initiatis, cum Osiris inferorum esset rex, candidis vestibis amictis iter caeleste per planetarum regnum et in regnum inferorum descendere licebat. Celebrari solebat memoria Osiridis resuscitati sive experrecti una cum Isidis planctu inter a. d. VII Kal. Nov. ad pridie Non. Nov. in Urbe. Qua in sollemnitate summa desperatio magno studio excipiebatur, quo omnes, qui intererant, maxime commovebantur. Vis enim et natura hujus mysterii in eo erat, quod sors Osiridis resuscitati fiebat eadem atque initiandorum. «Per deos immortales, si vivit Osiris, et nos pariter vivemus.» Nulla a.Chr.n. religio tantam corporis et animi deliciarum in ea, quae esset futura vita, spem faciebat, quantam cultus Isidis Aegyptiae. Etenim qui deser-

tum incolebant cultores beatitudinem nisi imagine aquae reficientis sibi fingere non poterant. Inde «refrigerii sedes» in ritum christianum transiit. Vocem quoque «aeternitatis domus» ex cultu funebri hoc petitam vides scriptam in *Eccl.* 12,5 et in Defunctorum praefatione «aeterna in caelis habitatio comparatur».

Ille «Atagartis» ejusque «amatoris Adonidis» cultus, qui in Syria ortum sumpserat, inde a servis et mercatoribus Syris per totum imperium romanum diffusus est. Mulieres praecipue pulchrum Adonidem fovere et «hortulos Adonidis» colere consueverant. In Urbe per tres dies ejus nuptiae mors tragica et resuscitatio celebrabatur. Quem cultum in primis imperatores stirpis Severi propagarunt. Sed Aureliano imperante solus «Sol invictus» est declaratus et imperatoris et imperii deus custos. Abhinc dies XXV Dec. erat dies festus Solis invicti et salutis communis ab ipso allatae. Hic cultus duo Orientales miscebantur. Ecclesia autem mater id spectans, ut festis paganis substitueret christianos, hunc diem Servatori nato, vero mundi Soli sollemniter dedicavit (GRISAR, *Rom.* 768).

Ut omnis error ita quoque hi cultus, quamvis degeneres, aliquid veri licet distorti habebant. Quisnam non viderit in Cybele magna parente Attidem deflenti, in Iside et Atagarte magnam illam Parentem Mariam filium plangentem et in Attide et Osiride a morte resuscitatis Christum a mortuis resuscitatum? In Sole invicto Christum Solem justitiae? Desiere deinceps mysteria graeca, ardens illud et innatum immortalitatis desiderium in artem magicam et obscenitates. Homo enim sibi relictus depravationis legi subjacet et incursionibus daemoniacis late patet. Caro, ut ita dicam, ille circinus infernus erat, unde nulla religio antiqua se extorquere posset. Libido effrenata et saeva crudelitas suprema mysteriorum antiquitatis erat imago (Cf. *ad Romanos* 1,24 ss.). Nec systema Stoicum nec Neoplatonismus servare homines poterant. Hinc clamor vere sapientium: «Nisi *soter* veniet, omnes peribimus». «Renascentia» opus *fuit*, ut Vergilius divinavit:

*"Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo,
Jam nova progenies caelo demittitur alto"*. (Ecloga IV, 5-7).

Quadraginta annis post Verbum Aeternum in sinum Virginis Immaculatae descendit et Incarnatione genus humanum funditus renovavit. Mysterium Incarnationis antiquitatis mysteria omnia vicit et abolevit. Cujus victoriae symbolum egregium in liturgia «Noctis Sacrae» habes. Nullum enim drama contrarium illud tenebrarum et lucis, noctis et solis tam splendide verbis et gestibus exprimit nisi mysterium paschale. Dum infertur novum ex petra excussum lumen in ecclesiam, omnes ter exclamant: «Lumen Christi, Deo gratias». Intonat diaconus immortale illud canticum: «Exsultet jam angelica

turba caelorum». Cereus paschalis est symbolum Christi, «solis hujus noctis», qui victor ab inferis ascendit. Jam immittitur in baptisterii fontem cera paschalis, ligni crucis imago. Spiritus Creator in sinum aquae baptismalis maternum descendit, ut inde progeniem caelestem educat. «Ab immaculati divini fontis utero in novam renata creaturam propago caelestis emergat». (*Praef. Sabb. Sancti*)¹.

NICOLAUS MANGEOT, S. J.
Haus Sentmaring
44 Münster (Westf.)
Sentmaringer Weg. 55-57

1. Cfr. LAGRANGE, *Les mystères, L'Orphisme*, Paris, 1937; CUMONT, *Die orientalischen Religionen*, Leipzig, 1931; HUGO RAHNER, *Griechische Mysterien in christlicher Deutung*, Zürich, 1945.

BIBLIOGRAPHIA

TAYLOR, A. E. — *Platone, l'uomo e l'opera*. "La Nuova Italia" Editrice, Firenze, 1968. Pag. 859. L. 8000.

Alfredus Eduardus Taylor (1869-1945) inter Platonis studiosos longe princeps exstat. Quae mea sententia hoc volumine confirmatur haud parvae molis sed majoris momenti, quod de Platone ejusque operibus eximius philologus conscripsit quodque ignorare nequit qui inquirendo Platoni vacat.

Unde viginti capitibus haec summa eruditione pertractat auctor: I. La vita. II. Gli scritti platonici. III. Dialoghi socratici minori: *Ippia Maggiore*, *Ippia Minore*, *Ione*, *Menesseno*. IV. Dialoghi socratici minori: *Carמידe*, *Lachete*, *Liside*. V. Dialoghi socratici minori: *Cratilo*, *Eutidemo*. VI. Dialoghi socratici: *Gorgia*, *Menone*. VII. Dialoghi socratici: *Eutifrone*, *Apologia*, *Critone*. VIII. *Fedone*. IX. *Simposio*. X. *Protagora*. XI. *Repubblica*. XII. *Fedro*. XIII. *Teeteto*. XIV. *Parmenide*. XV. *Sofista e Politico*. XVI. *Filebo*. XVII. *Timeo e Crisia*. XVIII. *Le Leggi e l'Epino-mide*. XIX. Platone nell'Accademia: idee e numeri. Gli apocrifi platonici. Tavola cronologica. Indice dei nomi e delle cose.

Ex hoc opere multum fructum percipere possunt scholastici universitarii lectoresque studio philosophiae compulsi sed graecitatis ignari. Ut ipsius auctoris verbis utamur, expositionem fidelem efficere contendit earum rerum a Platone probatarum. Mira eruditio in opere elucet, summa in argumentis exponendis subtilitas, magna ingenii altitudo atque doctrinae; quibus omnibus fit ut opus ex pro-

priis meritis dotibusque se ipsum commendet.

RACHET, G. et M. F. — *Dictionnaire de la civilisation grecque*. Librairie Larousse, Paris, 1968. Pag. 256. 9,90 F.

FREDOUILLE, J. C. — *Dictionnaire de la civilisation romaine*. Librairie Larousse, Paris, 1968. Pag. 256. 9,90 F.

CHEVALIER, R. — *Litterature latine*. Librairie Larousse, Paris, 1968. Pag. 256. 9,90 F.

Corpus seu collectio officinae librae-riae Larousse, quae "Dictionnaires de l'home du XX siècle" inscribitur, novis voluminibus ditata est. Primo volumini est index "Dictionnaire de la civilisation grecque", ubi breviter sed pellucide res et homines prostant qui graecorum cultum constituerunt. Facile hic invenies verba vocesque quibus instituta civilia ac religiosa, vita cottidiana, viri politici, artifices, sapientes qui industrie ad hunc cultum adlaborarunt, loci geographici praecipui consignantur. Lexicon, quod recensendum curamus, summa quaedam videtur vivendi ac cogitandi in Graecia veteri; pro certo idcirco habemus maximo fore librum adjumento iis in primis scholasticis et viatoribus qui, antiquorum temporum studiosi, fines cultus graeci invisere exoptent.

Alterum volumen, quod "Dictionnaire de la civilisation romaine" inscribitur, magno nobis est adjumento ut scire possimus quomodo in Urbe duo mille abhinc annos romani viverent. Hic hujus lexici finis: et multiplicatam et diversitatem ostendere

humani cultus qui decem saecula duravit totoque Occidente vestigia impressit. Magna ac parva historia romanorum, eorum vita quotidiana, privata, publica, sicut scientifica, instituta socialia, militia, artes, spectacula, voluptates jucunde revocantur.

En demum tertium collectionis volumen cui est index "Dictionnaire de la littérature latine". Litterarum latinarum studium fovendi atque renovari potest, dummodo studiosi volumina ad consulendum praesto ad manus habeant quibus documenta omnis generis litteraria ipsis facile commodentur, quin multos libros adire necesse sit. Unde hoc volumine hac lacuna in litteris latinis impleri intenditur, ut omnibus haud parvo ad consulendum sit adjumento.

CHAMBRY, E. — *Platon: Sophiste, Politique, Philèbe, Timée, Critias*. Garnier-Flammarion, Paris, 1969. Pag. 512.

Qui Platonem ejusque opera amant, hoc volumine ab E. Chambry exornato magnopere gaudebunt, tum dialogorum delectu tum introductione univ[er]sa tum prooemiis quae unicuique dialogo praemittuntur.

Primum de psychologia, de re politica, de morum praeceptis, de aethetica, de physica atque demiurgia apud Platonem, de Platonis auctoritate, de arte ac dialogo, de personis, de dicendi genere disertissime agitur in introductione univ[er]sa.

Deinde unusquisque dialogus castigato sermone francogallico insequitur scito prooemio illustratus: Le Sophiste (p. 29-145), Le Politique (p. 149-256), Philèbe (p. 259-375), Timée (p. 279-469), Critias (p. 473-493). Demumque dialogorum annotationibus (p. 495-511) utiliter finitur opus.

DE SAINT-DENIS, E. — *Columelle: De l'agriculture livre X (De l'horticulture)*. "Les Belles Lettres", Paris, 1969. Pag. 83.

In extremo libro IX de re rustica Columella se cultum hortorum versibus traditurum profitetur instante Silvino. Hoc opere Columella vestigia Vergilii insequitur "quasi numine (Vergilii) instigante", cultum pertractans hortorum quos Vergilius praetermiserat.

In introductione Prof. E. de Saint-Denis agit de loco quem liber X in universo tractatu de re rustica et in historia antiqua cultus hortorum habeat, de calendario olitoris, de ratione ac via technica atque poesi, de textu ejusque editionibus et versionibus. Deinde textus latinus sequitur scita versione francogallica apparatusque critico instructus. Denique paginae postremae commentario praecipuorum locorum destinantur maximi momenti ad intellegendum Columellam ejusque de re rustica et in primis de cultu hortorum explanationem.

DEFRADAS, J. — *Guide de l'Étudiant helléniste*. Presses Universitaires de France, Paris, 1968. Pag. 157.

Prof. J. Defradas ad ingrediendam Litterarum Universitatem alumnos quasi manu ducit hujus voluminis ope eis ostendens et officia et instrumenta quibus uti in ea debent: quem locum lingua graeca in studiis superioribus occupet; de versione et themate; de textus graeci interpretatione commentario instructa; de investigationibus bibliographicis; de praecipuorum auctorum bibliographia; de palaeographia; de epigraphia; de archaologia; quo pacto alumni in arcana investigationis ducantur. Opus indicibus rerum, auctorum veterum recentiumque finitur.

RUCH, M. — *Cornelius Nepos: Hannibal, Cato, Atticus*. Ed. Presses Universitaires de France, Paris, 1968. Pag. 100.

M. Ruch, de litteris latinis bene meritus Professor, qui antea orationem "Pro Marcello" Ciceronis ediderat, Cornelii Nepotis vitas nonnullas pro alumnis vulgavit. In introductione clmus. Prof. de bibliographia ut genere litterario erudite agit subtiliter eam discriminans a panegyrico, a laudatione funebri, ab effigie ut vulgo dicamus litteraria. Praeterea de praecipuis in dicendo proprietatibus C. Nepotis, de Vitarum compositione et vulgatione, de textu latino ejusque codicibus, de bibliographia quoque agitur. Textus cujusque vitae scilicet Catonis, Hannibalis, Atticique deinde prostat brevissimo apparatu critico instructus atque commentario, ubi praecipui loci ad commodum alumnorum illustrantur.

ii.

GREIMAS, A. J. — *Dictionnaire de l'ancien français jusqu'au milieu du XIV^eme. siècle*. Librairie Larousse, Paris, 1969. Pag. 676.

Opus quod "Dictionnaire de l'ancien français" inscribitur ab officina libraria Larousse editum iis in primis, cum professoribus tum alumnis, qui medio aevo investigando vacant, destinatur; quo lexico et veterum scriptorum textus et antiqua lingua francogallica ab ejus origine investigatoribus obvia fiunt. Potius quam lexicon vocum, sensuum seu significationum lexicon appellari oportet. auctor enim defendit vix ullum esse vocabulum quod plures non subierit significationes. Itaque voces per familias tractantur; quo fit ut per derivationis viam alia vocabula cum aliis

conferantur non solum quod ad communem sed etiam ad singularem significationem spectat.

FASTI MCMLXX. — *Centaur Books Ltd.* 284 High Street Slough Buks, England.

Quamvis exeunte jam anno, nonnullam notitiam praebemus de Fastis MCMLXX ab Orbiliana Societate in urbe Croydon editis. Ut in superioribus editores quadam unitate uno quoque anno fastos suos exornare volunt. Itaque unamquamque calendarii paginam cuique imperatori romano dicaverunt, ut prostant: m. jan. JULIUS; m. febr. AUGUSTUS; m. mart. TIBERIUS; m. apr. CALIGULA; m. maj. CLAUDIUS; m. jun. NERO; m. jul. GALBA; m. aug. OTHO; m. sept. VITELLIUS; m. oct. VESPASIANUS; m. nov. TITUS; m. dec. DOMITIANUS.

Imagines imperatorum nummis exprimuntur nonnullisque locutionibus vel versibus illustrantur.

LOUIS, P. — *Aristote: Histoire des animaux, tome III, livres VIII-X*. "Les Belles Lettres", Paris, 1969. Pag. 192.

P. Louis, Academiae Lugdunensis Moderator, alio nos volumine Aristotelis donavit. Qui cognoscendis animantibus vacant, maximo fore adjuvamento hoc opus aestimamus, quo tot notitiae de animantibus a Stagirita tanta sagacitate atque eruditione praebentur.

Accurata versione vernacula clmus. Professor textum graecum instruit atque illustrat. Selectissimus apparatus criticus, ut mos est in libris vulgandis classicorum latinorum et graecorum societati editrici "Les Belles Lettres", notulae seu annotatiunculae quibus praecipui loci explicantur, hanc

editionem jure de litteris graecis et historia naturae efficiunt meritissimam.

SOUBIRAN, J. — *Vitruve: De l'architecture, livre IX*. "Les Belles Lettres", Paris, 1969. Pag. LXXII-315.

Nobis recentioribus hominibus per quam difficile est comprehendere quo pacto disciplina technica horologiorum solarium olim ad architecturam pertinerent. Vitruvii autem aetate nihil mirum, cum id sibi architecti jure adrogavissent.

Itaque Prof. J. Soubiran introductionis ope totius libri IX distributionem seu exstructuram tractat, prooemiumque Vitruvii aggreditur explicandum; deinde de astronomia quoque agit, quo modo romani amarent colerentque, in primis Vitruvius, quos fontes adiret ad librum IX conscribendum; quibus descriptis, de gnomonicis rationibus fit quaestio, quid novi Vitruvius in hanc disciplinam adduxerit quidque ejus errores nobis hodie videantur.

Textus sequitur latinus castigata versione vernacula praeditus apparatusque critico instructus (p. 1-36). Quod meritissimum hujus editionis videtur est commentarium locorum rerumque difficiliorum Vitruvii, quod paginis 41-308 continetur. Nobis hominibus hodiernis per utile erit hujus modi commentarium, si intellegere volumus technicas antiquorum in dimetiendo tempore rationes gnomonicas.

COLLART, J. — *Histoire de la langue latine*. Presses Universitaires de France, Paris, 1967. Pag. 124.

Per opportune, hac nostra aetate linguae latinae parum faventi, accedat opusculum Prof. J. Collart qui totis

viribus sed potissimis rationibus vindicat sermonem Latii minime linguam mortuam sed linguam matrem exstare.

De hoc argumento agit auctor in introductione aliisque quaestionibus ad historiam linguae latinae spectantibus. Quibus praemissis caput primum elementis phoneticis dicatur (p. 16-35); caput secundum elementis morphologicis (p. 37-58); caput tertium syntaxeos elementis (p. 59-86); caput quartum elementis historiae lexicis (p. 87-117). Historia linguae latinae nota erit iis in primis scholasticis qui collectionem "Que sais-je?" inscriptam adeunt atque frequentant ejusque opuscula quibus omne genus scientiarum divulgatur.

SCOTT, A. B. — *Hildeberti Cenomannensis Episcopi carmina minora*. Bibliotheca scriptorum graecorum et romanorum Teubneriana, Lipsiae. 1969. Pag. XLII-76.

En quod sibi in opere parando proposuerat auctor: "Propositum autem meum est lectori offerre collectionem poematum quae Hildeberty auctorem vere habent, et textum purgare mendis quae introduxit A. Beaugendre editionem principem instruens". Quod certo, nostra tamen sententia, est assecutus, nam A. B. Scott poemata Hildeberty Episcopi Cenomannensis summa cura genuina a spuriis optimorum ope codicum discriminavit.

Primum igitur auctor in scitissima praefatione, de codicibus, de codicum familiis, de recensionibus, de tempore quo scripserit Hildeberty poemata, de ratione editionis hujus fuse eruditeque agit. Conspectus praebetur librorum et studiorum, ubi prostant libri saepius laudati eorumque abbreviationes, editiones poematum singulorum, studia ad poemata singula spectantia. Deinde textus latinus brevi sed utili apparatu critico ad pagi-

nae calcem instruitur (p. 1-59). Denique index grammaticus ad carmina minora ubi formae, syntactica, rhetorica tractantur; index metrorum quibus usus est Hildebertus; index nominum; index verborum memorabilem.

VOGT, J. — *La Repubblica Romana*. Ed. Laterza, Bari, 1968. Pag. 442. L. 5000.

Cum, triginta fere abhinc annos, prima hujus operis editio in vulgus data est, investigatio J. Vogt tanquam clarum existimata est exemplum in historiographia romana propter auctoris auctoritatem, criticam fontium tractationem, restitutionem historicam.

Quod nuper in lucem secundo prodit opus, penitus retractatum non tantum quod ad apparatus bibliographicum spectat, verum etiam ad ipsam voluminis exstructuram, venustatem momentumque superioris editiones conservat.

Prima rei publicae aetas romanorum propagatione per universam paeninsulam italicam comprehenditur. Magnum discrimen in historia rei publicae romanae fuit cum Carthagine bellum, ex quo, Carthagine deleta, Roma victrix excessit, universum subegit Mediterraneum totumque orbem terrarum. Sed socialis qui inde exortus est status (nobilitatis cum reliquis civibus perpetuas pugnas meminimus, necnon et oligarchiam Senatus, et latifundiorum diffusionem et iniquam servorum fortunam, et bella intestina ceteraque) effecit ut res publica in monarchiam seu imperium mutaretur.

Quae omnia a J. Vogt eruditissime tractantur juxta hunc indicem: Praesupposti geografici et storici (p. 3), La repubblica e l'Italia (p. 47), La re-

pubblica romana ed il mondo mediterraneo (p. 121), La repubblica ed il dominio mondiale (p. 239-416).

PALLOTINO, M. — *Che cos'è l'archeologia*. Sansoni Editore, 1963. Pag. 207. 112 illustrazioni. L. 5000.

Mirabilis archaeologiae mundus in hoc volumine novis prospectibus amplioribusque mensuris describitur. Non tantum historia revocatur urbium quae e ruinis suis adsurgunt adeoque animos hominum recentium permovet. Sed omnes ad aspectus quaestionesque omnes ad investigationem archaeologicam spectantes tractantur ab auctore hac nostra aetate qua tam validis instrumentis utuntur periti, tam scite ruinae veteres recognoscuntur ad restituendam temporis praeteriti historiam.

Paginae hujus pulcherrimi voluminis pretiosissimi experientiae nationalis et internationalis Maximi Pallotino clmi. Prof. Tuscorum Cultus et Antiquitatis Italicae in Universitate romana sunt fructus. Tabulae CXX seu imagines et nigrae et variis coloribus expressae accuratissime sunt selectae commentariisque scitissimis illustratae quo testimonia et documenta antiquitatis vividius ante oculos hominum hodiernorum prostarent.

Maximam laudem exitus typographici Sansoni editori tribuendam jure meritoque existimamus.

CARCOPINO, J. — *Les bonnes leçons*. Presses Universitaires de France. Paris, 1968. Pag. 212.

Maxima textuum pars, quos ab antiquitate suscepimus, medium quidem aevum non superant. Cum enim primigenia exempla duo saltem milia annorum habeant, nihil mirum quod quam plurimis mendis abundant. Unde expedire debent philologi rationem ac

viam ad extrudendos errores qui in textus decursu temporum irrepserunt. "Critica verbalis" quae dicitur, scientia auxiliaris historiae antiquae, ad iumenta suppetit studiosis quibus verba sive sensu sive forma dubia recte discriminantur. J. Carcopino eam describit tamquam "orthopaediam quandam vocabulorum quae temporis usurpatione hominumque levitate sunt deformata".

Hoc volumine varia corrigendi exponit genera quibus in pristinam integritatem textum a scribis corruptum revocemus.

TORSELLI, G. — *Castelli e ville del Lazio*. Fratelli Palombi Editori, Roma, 1968.

G. Torselli opere luculentissima studiosis documenta archaeologica praebentur de castellis villisque quae decursu temporum in Latio exstructa sunt: aedificia maximi momenti in historia Italiae Civitatumque Pontificiarum. In eis enim expugnationes, eversiones, restitutiones habitae sunt juxta temporum eventuumque fortunam. Quod de castellis dicitur potius de villis dicendum, cum melius cognitae videantur tanquam habitacula in viridentibus locis vel prope mare optimatum, patriciorum, divitum rei publicae imperiique.

Opus igitur, quod iudicio critico ornamus, maximi erit momenti non tantum peritissimis in archaeologia viris verum etiam studiosis. In his enim CXC castellis et XC Latii villis quamplurimae rei notitiae dantur illustrationesque quoque seu imagines, adeo ut vehemens sint incitamentum, ad hos locos italicos visitandos.

Ecce totius operis index: Prefazione (p. 7). Introduzione (p. 7). Introduzione (p. 11). I Castelli (p. 25). I Castelli minori (p. 162). Le ville (p. 183). Le ville minori (p. 263). Bibliografia

(p. 269). Indice delle tavole in nero (p. 273). Indice delle tavole a colori (p. 279). Indice delle incisioni fuori testo (p. 279).

ELFERINK, M. A. — *La descente de l'âme d'après Macrobe*. Ed. J. E. Brill, Leiden, 1968. Pag. 69. Price: 20'50 guilders.

A. Elferink in Universitate Lugduni Batavorum classicarum litterarum doctorandus maturissima morte obiit viginti quinque annos natus. Attamen haec lucubratio quanto litterarum studio arderet juvenis investigator ostendit. Nam opusculo sub hoc indice: I. La citation de Numenius II. La conception "géométrique de l'âme. III. La substance indivisible et la substance divisible. IV. L'acquisition des qualités dans les sphères planétaires. V. Les trois groupes de Platoniciens. VI. Conclusión. Indices.

Haec est summa totius investigationis: quod compositionem longinqui loci de descensu animae apud Macrobius, ipse Macrobius exaravit.

BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittel-lateinisches Wörterbuch. II Band. Lieferung 2: canicularis - casalinus*. C. H. Beck'sche Verlag, München, 1969. Pag. col. 161-320.

Quamquam Academia Bavarica, quantum in se est, in editione fasciculorum Lexici Mediae Latinitatis inaturat proficisci, nobis nimia mora videtur cum tantum lexicon perfectum absolutumque jam diu velimus. Adeo id philologici latinitatis mediae imprimis exoptant. Salvere jubemus novum dictionarii fasciculum quod, ut superiores res maximi momenti in lexicographia affert; nonnulla tamen notanda lectoribus habeamus in quibusdam praecipuis vocabulis: *canis*,

cano, canonicus, capella, capio, capitulis, capitulum, caput, cardinalis, carido, caritas, caro, casa, cet.

MANZO, A. — *Facete Dicta Tulliana*, Biblioteca della rivista di Studi Classici, Torino, 1969. Pag. 168. L. 3400.

Ciceronem, festivum facetumque scriptorem, quamplurimi semper temptaverunt studiosi; adeo enim ciceroniani sales alliciunt tamque apertus patet eorum campus novis investigationibus ut novae vires ingeniaque nova incitentur.

Praeter superiores scriptores qui de re egerunt, ut F. Nencini, L. Garlitt, V. Brugnola, A. Haury, Prof. A. Manzo prima operis parte "*facetum*" explicat intra technicam rhetoricae ciceroniana rationem. Altera vero parte quam plurima ponderantur "*facete dicta*", quibus epistulae ejus selectae abundant, ubi Cicero facetiis, salibus, argutiis, ironia longe praestat. Faceta vis Ciceronis adest ubi opus est rem factumve commentari, hominem quemdam inducere, quaedam momenta deridicula facie componere. Prof. A. Manzo "*facete dicta*" Ciceronis philologice et historice summa eruditione tractat.

SPECCHIA, O. — *Platone, Epinomis*. Felice Le Monnier. Firenze, 1967. Pag. 139, L. 1900.

In introductione auctor de Platone vero dialogi scriptore agit methodicis rationibus rem confirmans indolemque hellenisticam sive hujus operis sive reliquorum operum Platonis.

Editionis textus graecus lectionibus J. Burnet et E. des Places innititur commentariisque illustratur et eo intendit auctor ut Plato dialogi scriptor evidentius constet.

Opus indicibus finitur vocum et locutionum notabilium recentiorumque auctorum.

BENARIO, H. W. — *Tacitus: Agricola, Germany, Dialogue on orators*, Ed. The Bobbs-Merrill Company, Inc., Indianapolis, 1967.

Taciti dicendi genus est interdum tam pressum intortumque ut non pauci credant impossibile in vernaculas linguas eum convertere et ad paraphrases atque interpretationes bene sonantes confugiant. Prof. H. W. Benario Tacitum fideliter interpretari temptavit potius linguae quam cogitativi obsequens, pluresque quam potuit Taciti dicendi proprietates exprimens.

Textus editioni E. Koestermann (Teubner, 1957) respondet; cum interpres ab illo discedit, quod raro fieri solet, ad paginae calcem annotat. In volumine chartae geographicae Britanniae (p. 2) atque Germaniae (p. 38-39), per ampla ad Tacitum legendum introductio historica et critica (IX-XXVI), tabula imperatorum romanorum ab Augusto ad Hadrianum (p. XXVII) et index nominum propriorum personarum, locorum operumque litterariorum in volumine memoratorum (p. 109-116).

MARCELLINO, R. — *Martial: Selected Epigrams*. Ed. The Bobbs-Merrill Company, Inc. Indianapolis, 1968.

Nucleus hujus collectionis epigrammatum anglice conversorum opusculum fuit XLVII poematum quod m. martio a. MCMLXIII prodiit in lucem "The Pensive and the Antic Muse" inscriptum, quia ibi Martialis tum gravis tum satiricus apparebat poeta. In his versionibus interpres quam plurimis metris usus est, ad omnia epigrammata vertenda stropham

adhibens versusque extremis syllabis consonantes, nam, ut ipse opinatur, "epigramma ex postulat stropham versusque eodem sono desinentes, quo facilius poema ejusque aculeus memoretur" (p. IX); tamen, cum opus est, interpres ipsa verba latina repetere non dubitat, necnon glossam comprehensionis causa usurpare.

Hac selectione epigrammata ex XII Martialis libris includuntur; "Xenia" quoque memoratur tresque ex "Aphoretis" epigrammata adjunguntur. Quam interpretationem magnopere delectaturam certi sumus studiosos Martialis, qui sibi persuasum habebat opus suum poeticum in perpetuum esse duraturum.

EDINGER, H. G. — *On Ol Age. On Friendship*. Ed. The Bobbs-Merrill Company, Inc., Indianapolis, 1967.

Cicero se sperabat romanos scriptis philosophicis graecis liberaturum, minime in locum philosophiae graecae aliam reponendo, sed eam quasi in summam redigendo jucundeque revocando.

Itaque Prof. H. G. Etinger summa perspicuitate ac subtilitate Ciceronis proposita investigat in accurata introductione (p. VII-XV) ad volumen quod recensendum curamus; in qua praeterea de praecipuis duorum scriptorum cogitationibus agit, de partibus in quas dividuntur, de tempore quo sunt exarata, de comparatione cum aliis scriptis philosophicis graecis. Hoc maxime existimare interest quod, ut Etinger notat, hi tractatus tamquam recte vivendi regulae proponuntur.

Interpretatio quam plurimis notulis ad paginae calcem instruitur optimisque editionibus criticis textuum innititur. Interpres quoque selectam memorat bibliographiam, ubi Cicero ejusque opera philosophica investiganda prostant (p. XVI). Extremi li-

belli indice (p. 81-92) nomina tantum dialogorum propria ad commodum legentium continentur.

WILKINSON, L. P. — *Letters of Cicero; A selection and translation*. The Norton Library, New York, 1969. \$ 1.95.

Hoc volumine, quod antea a. 1949 et 1959 in lucem jam prodiit, et litterarum et litterarum fragmenta Ciceronis colliguntur accurata hodiernaque interpretatione vernacula instructa, brevibus annotationibus atque introductionibus editoris illustrata et in sex tempora historica (ab a. 62 usque ad 42 a. Chtum. n.) distributa.

Quibus selectis litteris nobis fas est perspicere acutissimis hujus scriptoris oculis historiam earum rerum quae ultimis annis rei publicae romanae acciderunt.

Prof. L. B. Wilkinson per amplam lectoribus etiam introductionem offert (p. 12-20), brevem notulam de quaestione illa quam ipse "viciosam impugnationem" ("vicious attack") scriptoris Carcopino in Ciceronem (p. 25) appellat, glossarium vocabulorum technicorum (p. 197-200), indicem nominum propriorum (p. 201-207).

Librum vehementer commendandum aestimamus iis in primis historiae romanae professoribus et praesertim linguae latinae magistris qui scholas de Ciceronis scriptis pro alumnis habere debent.

SALMON, E. T. — *A History of the Roman World 30 BC to AD 138*. Methuen et Co. Ltd., London, 1968. Pag. XVI-367. Price: 21s net.

Volumen VI corporis quod "Methuensis History of the Greek and Roman World" inscribitur lectori-

busque commendatur, auctor tanquam summam historiae primi imperii considerat; proinde id presso modo fecit, ut ad minimum numerum plurima testimonia editionum superiorum redigeret; tamen in rebus tractandis magnam curam subtilitatemque invenimus legentesque opus non videre non possumus quod auctor appellat "mirum studium ac fastinationem hominis britanni recentis ad Romanum Imperium investigandum".

Per quattuor libri partes res politica atque instituta imperii indagantur (p. 39-93), vita oeconomica (p. 253-261), quaestio socialis quae ex ineunte religione christiana orta est (p. 319-326), litterae et artes Augusto imperante (p. 114-123) anni 50-109 post Chr.n. et initium saeculi secundi (p. 326-333); in primis autem auctor singulorum imperatorum operam perscrutatur, ejusque regiminis proprietates, bella, nationes armis subactas, praecipuos eventus, singillatim inquit aetatem imperatorum italicorum (p. 198-268) et non italicorum (p. 268-230).

TREGGIARI, S. — *Roman freedmen during the late Republic*. Oxford at the Clarendon Press, 1969. Pag. XII-293. Price: 64s net.

Nunc lectoribus commendamus Susannae Treggiari librum, ubi scilicet de libertis vel servis manumissis eorumque condicionibus socialibus extrema jam jam republica agitur.

Ubi libertorum condicio atque status ante legem publicam et privatam descripta sunt, eorum officia ac munera investigantur — quod maximam operis constituit partem — in iis quae ad vitam oeconomicam, humanum cultum, res politicas, religiosas socialesque rei publicae spectant. Caput quoque dicatur liberis prognatisque libertorum nonnullique inveniuntur

appendices, inter quos prae majore amplitudine ille eminet qui libertis M. Tullii destinatur (p. 252-265).

Juxta Susannae Treggiari propositum, hic liber, qui ad lacunam adimplendam operis A. M. Duff cui est index "Freedmen in the Early Roman Empire", ibi finem habet ubi ille initur. Laudandus sane index etiam nominum ac selecta de re bibliographia quae commode ad legentium manus in extremo volumine praesto constant.

OXFORD LATIN DICTIONARY, Fasc. II: *Calcitro-Demitti*. Oxford at the Clarendon Press, 1969. Pag. 257-512. Price: 75s net.

Adimpleri pergit propositum societatis illius studiosorum qui anno 1931 consilium capiebant edendi lexicon latinum omnino novum et ex superioribus minime pendens, ubi lingua latina classica jam inde ab ejus originibus usque ad finem saeculi II p. Chr. n. contineretur.

Hujus maximi operis volumen alterum seriei octo voluminum ex quibus absolutum constabit opus cujusque unum tertio quoque anno, juxta editorum propositum, in lucem edetur, recensendum curamus lectoribusque tradimus cognoscendum.

Lexicon "Oxford Latin Dictionary" quod inscribitur nova quadam fontium latinorum lectione innititur in eoque ratio ac via necnon materialium seu cujusque vocabuli tractatio atque distributio lexicis cui est index "Oxford English Dictionary".

HALL, J. B. — *Claudian: De raptu Proserpinae*. Cambridge University Press, 1969. Pag. 252. Price: 90s net.

"De raptu Proserpinae" editionem novam legendam commendamus abun-

dantique apparatu critico commentariisque instructam. Per ampla introductio initium sumit indice manu scriptorum; primum auctor in altam historiam traditionis manu scriptae poematis; deinde praecipuas ejus editiones revisit variasque retractat sententias de tempore compositionis fontiumque e quibus argumentum sumptum est; finem denique introductioni imponit notulis criticis de exstructura, forma, dicendique genere poematis.

Prof. J. B. Hall textum stabilit latinum nonnisi post longum accuratumque omnium manu scriptorum, quae exstant, examen; apparatus quoque criticus nobis valde abundans videtur, quod asserere idem licet de commentario, ubi potius elementa textualia tractantur quam mythologica atque litteraria.

DIGGLE, I. - GOODYEAR, F. R. D. — *Flavii Cresconii Corippi IOHANNIDOS seu de Hellis Lybicus libri VIII*. Cantabrigiae typis academicis (Cambridge U. Press) Bentley House, London, 1970, Pag. XII-198. Price: £ 4 net.

“Iohannis” epicum est poema saeculo sexto exarato, quo res gestae cujusdam ducis romani adversus Berber, rebellionis auctorem in Africa septentrionali. Poema maximi videtur momenti tum quod testimonium exstat historicum praestantissimum aetatis illius, cum quod ethnographiam Africae septentrionalis ultimis antiquitatis temporibus detegit, praeterquam quod haud parvam in litteris habet auctoritatem cum multis vinculis ac necessitudinibus cum primaeva poesi latina jungatur.

Prof. Diggle et Goodyear, quantum fieri potuit, plagulas textus purgaverunt, superiores editores superando, ita ut paene unus labor eorum

exstiterit; quos audiamus oportet: “in textui medendo operam paene totam navavimus, commetario perpetuo carmen illustrare supersedimus, nam commentationes perutiles ad omnem fere *Iohannidos* indolem pertinentes jam composuerunt viri docti complures” (Welzel, Appel, Driedmüller, Amann).

Quamplurimas ergo gratias habeamus clm. viris Jacobo Diggle Collegii Reginalis Cantabrigiensis socio et F. R. D. Goodyear Litterarum Latinarum in Universitate Londiniensi Professore, qui Flavii Cresconii Corippi *Iohannidos* libros VIII —opus quamplurimis ignotum— ad commodum studiosorum evulgaverint.

BERTINI, F. — *Plauti Asinaria. Pars prior: Prolegomena et textus; Pag. 124; pars altera: Commentarium et indices*. Università di Genova, 1968. Pag. 353.

Quam usque ab anno MCMXLVII Munari ille doctissimus vir novam *Asinariae* Plautinae flagitaverat editionem exegeticam, hanc alius haud ignobilis vir F. Bertini edidit comoediam commentario exegetico instructam et in duas partes dispertitam. In parte priore auctor *Prolegomena* scientia atque eruditione referta primum praebet (p. 11-66), quorum capita tanti aestimamus momenti ut indicem saltem non transcribere non possimus, dignum quod a lectoribus cognoscatur: I. De *Asinariae* exemplo graeco. II. De *Asinariae* argumento. III. De actuum divisione. IV. De numero actorum. V. De *Asinaria* Plautina recte aestimanda. VI. Quo tempore fabula *Asinaria* scripta sit quaeritur. VII. Cur hanc fabulam Plautus “*Asinariam*” inscripserit. VIII. Num fabula *Asinaria* retractata vel contaminata ad nos pervenerit quaeritur. X. De Plauto sui imitatore.

XI. De *Asinariae* textu constituendo. Paginae 67-123 textum Plautinum continent uberrimo scitissimoque apparatu critico instructum optimis codicibus accuratissime denuo inspectis.

In parte altera qua commentarium et indices continentur primum personae describuntur (p. 133-136), deinde comentarium insequitur Argumenti (p. 137), Prologi (p. 139-145) Actuumque quinque (p. 146-338); denique editionum fit conspectus (p. 339), index rerum notabilium (p. 349-353).

Novae editionis auctorem salvere jubemus quod, praeter alias dotes quae in hoc volumine *Asinariae* edendo, praesertim in commentario —tam erudito, hodierno recentique— praesertant, omnia castigata lingua latina exaraverit, quo facilius ad omnis civitatis studiosos editio novissima perveniret.

DELIA CASA, A. — *Il "Dubius sermo" di Plinio*. Università di Genova, Genova, 1969. Pag. 363.

Hoc volumine testimonia operis grammatici quod Plinius Secundus Major exaravit quodque "Dubii sermonis libri" inscriptum est, continentur, addito quoque commentario exegetico quo auctor illustrare opus contendit.

Primum per amplam introductionem habet Hadrianus della Casa, ubi de titulo seu indice libri, de tempore quo exaratus est, de adjunctis historicis, de fontibus quos adiit Plinius, de codicibus tradendis, de fragmentis colligendis, de operis deperditi restitutione, de tractatu grammatico cui est index "dubius sermo" in contentionibus stoicis (p. 11-86). Deinde Conspectus editionum et sigla codicum et Compendia (p. 87-95) antecedunt textui latino, qui per paginas 99-182 producitur. Denique commentarium quod proprium est auctoris (p. 185-

331). In extremo opere nonnulli inveniuntur appendices; grammatici apud quos fragmenta servantur, index auctorum quos Plinius laudavit, index nominum et verborum. Plurimum haec editio valebit ad cognoscendum Plinium Majorem, ut rerum grammaticarum scriptorem saeculi primi post Christum natum.

STANFORD, W. B. — *The Ulysses theme. Study in the Adaptability of a Traditional Hero*. Second Edition. Ann Arbor Paperbacks. The University of Michigan Press, 1968. Pag. 340. \$ 2.65.

Hujus libri scriptor lectores vult admonitos suam Ulixis homerici interpretationem unitate artistica, quam ipse praeterea propugnat, inniti Iliadis atque Odysseae. Volumen in tres partes dispertitur, quarum prima "Ulysses as an epic hero" (p. 8-90) inscripta sex capita continentur, ubi vivide herois exprimitur figura ac persona quae tot scriptorum mentes animosque concitavit, discrimine quodam facto inter Ulixem politicum et Ulixem pericula audacissime subeuntem.

Alter pars ex sex aliis constat capitibus, ubi sub indice "Ulysses as a figure of controversy" (p. 90-159) vis momentumque investigatur Ulixis illius, qui in prima parte describitur, in scaenam classicam, in scriptores alexandrinos ac stoicos, in Vergilium aliosque scriptores latinos.

Tertia demum parte quae "Modern variations on the classical themes" inscribitur, varias multiplicisque versiones seu interpretationes Ulixis pertractat W. B. Stanford apud recentes scriptores cum auctoribus classicis conferendo; accuratius autem fusiusque investigat auctor interpretationem Ulixis apud Joyee et Kazantzakis (p. 211-241), quoniam autumat has

hujusmodi interpretationes heroa jure meritoque in locum suum reponere.

Praeter indices et bibliographiam hac secunda editioe quinque novi appendices includuntur, quibus quodam modo auctoris opus perficitur atque completur.

GORDON, W. — *The third book of Horace's Odes*. Oxford Clarendon Press, 1969. Pag. 165. Price: .120 N.

Commentaria, quibus liber tertius Horatii Carminum exornatur, magnae in docendo experientiae sunt fructus. W. Gordon his commentariis nequaquam in extricandis difficultatibus singularibus immoratur, nam ita, ut auctor cogitat, a comprehendendo poemate universo arcentur legentes: quapropter, post unumquodque poema interpretatione literali instructum auctor commentarii cursivi ope poema explicat, analysim subiciens expositioni progressus cogitatus horatiani. In quibus commentariis W. Gordon laborem criticae textualis sponte praeteriit.

In introductione universa (p. 1-26) historiam auctor perscrutatur aetatis illius naturam poeseos romanae, Horatii poetice dicendi genus versusque ab eodem usitatos; in extremo quoque volumine brevissimam invenies poematum graecorum selectionem, quibus auctor notitiam quamdam poeseos graecae cognoscendae tradit.

ALFARO, J. — *Hacia una teología del progreso humano*. Ed. Herder, Barcelona, 1969. Ptas. 100.

J. Alfaro sensum significationemque progressus humani explorat, ubi fidei quaestio latet magni momenti: quantum cuique homini christiano, qui ad mundum in melius immutandum adlaborare enixe debeat, operandum sit.

Doctrina Sacrarum Scripturarum Conciliique Vaticani II progressionem humanam specie anthropologica, christologica, eschatologica perscrutatur auctor, adeo ut christianus, cum negotiis mundanis implicatur, salutis propriae operetur eschatologicaeque Jesu Domini revelationi totis viribus consulat.

CASTELLAN, Y. — *Initiation à la psychologie moderne*. Société d'Édition d'Enseignement Supérieur (Sedes). Paris, 1969. Pag. 300.

Omnibus nervis contendere debuit Y. Castellan, Professor Psychologiae in Universitate quae in urbe Lille sedem habet, ut hoc parvo volumine miram perfectamque universae scientiae psychologicae recentissimae retractationem efficeret; in eo enim omnes praecipuae sententiae recentissimorum psychologorum continentur atque disputantur juxta hunc rerum indicem: I. LA PSYCHOLOGIE. II. TROPISME ET REFLEXE. III. LES ACTIVITES INSTINCTIVES. IV. LE CONDITIONNEMENT ET L'APPRENTISSAGE. V. LA MOTIVATION. VI. LA REGULATION DES CONDUITS. VII. LA PERCEPTION. VIII. LA MEMOIRE. IX. LE LANGAGE. X. LES ACTIVITES INTELECTUELLES. XI. LA PERSONNALITE. XII. CONCLUSION.

Perspicuitas in lineamentis capitum adumbrandis, ingenuum indagandi veri studium, subtilitas in rebus tractandis atque eruditio Prof. Y. Castellan in universo opere elucet.

ADNÉS, P. — *El matrimonio*. Ed. Herder, Barcelona, 1969. Pag. 269. 225 Ptas.

Quod lectoribus commendamus opus, manualis liber est theologiae de

matrimonio sacramentalis. Ad investigandum matrimonium tanquam novae legis sacramentum destinatur. In duas partes opus dividitur, quarum in prima investigatio praebetur theologiae positivae ubi testimonia a Biblia et Traditione desumpta colliguntur; altera vero pars tentamen quoddam videtur ad summam doctrinalem perficiendam in qua theologia quae ibi exponitur et explanatur corpus bene conjunctum atque conformatum constituit.

Quae omnia recenti doctrina Concilii Vaticani II corroborantur; variisque indicibus complentur, quibus lector in investigationibus privatis manu quasi ducetur.

GARRONE, G. — *Moral cristiana y valores humanos*. Ed. Herder, Barcelona, 1969. Pag. 268.

Disciplina moralis christiana minime quasi summa regularum seu praeceptorum videtur quae homini extrinsecus imponantur; immo ipsa natura humana nititur. Qua via incedens auctor, opus in duas dividit partes, quarum in prima moralitatis universaeque virtutum doctrinae fundamenta jaciuntur; in altera autem parte Cardinalis G. Garrone, qui summam experientiam pastorem habet, hominem adit atque alloquitur, praecipuas ei virtutes christianas exponens scientiamque moralem tradens potius virtutum rerumque quae hodie ab hominibus magni habentur, quam principiorum.

AUBERT, J. M. — *Ley de Dios, leyes de los hombres*. Ed. Herder, Barcelona, 1969. Pag. 306. Ptas. 250.

Dum theologiae mediae aevi una eademque perseverabat, theologi recentiores eam in dogmaticam et mo-

ralem bene discriminatam voluerunt; quae inde disciplinae commercium inter se perperam amiserunt. Si disciplina moralis, tanquam scientiae humane agendi, tantummodo intellegi potest sub specie seu mundi universi contemplatione, id est, sub vero amplissimoque vitae sensu, quam noxium perniciosumque fuisse patet hoc discrimen seu dicotomiam. Theologia enim moralis conversa est in rationem quandam technicam, id est, confessorii disciplinam, cum lex intellegeretur non recta via tanquam principium rationale recte humaneque agendi sed tanquam fons obligationis atque coercionis. Propositum tamen J. M. Aubert hoc est: antiquos sufficere de legibus tractatus geminamque traditionem theologiam de matrimonio restituere, ante oculos quoque habitis renovatione biblica vitaeque hodiernae quaestionibus.

ROBERT, PH. — *Las bandas de adolescentes*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pag. 335. Ptas. 200.

Quantopere nostra aetate adolescentium manus vigeant; quem quoque gradum attigerint in hac re sapientium investigationes; quo facto manus puerorum cum aliis factis vel rebus adolescentium conferri possint; quod sit earum genus proprium et quo modo aestimanda earum etiam sceleritas; num adolescentes, qui in manum glomerentur, minus quam ceteri societati aptati videantur; quod momentum habeat in manibus adolescentium domus, vicus, urbs, otia, animi oblectamenta, haec omnia a Ph. Robert, jurisperito, praefecto Servitii Studiorum Poenaliu, professore in Universitate Burdigalensi, subtiliter atque erudite tractantur multoque commodo iis praesertim qui puerorum institutioni vacant.

KAPPELER, E. — *Ser joven con la juventud*. Ed. Studium. Madrid, 1969. Pag. 196.

Quoties in parentum conventibus vel colloquiis haec audiuntur: "Numquam id nos coram professore fecissemus! Nos semper parere debuimus, nequamquam ut his temporibus! Nos mature laborare didicimus! Nobis horum puerorum aetate quam plurimos colaphos parentes nostri infregerant". Talia vel similia nos aetate proveci de juvenibus hodiernis habemus, aegerrime ferentes juventam umquam ut nostris temporibus fuisse impudentiorem, futiliorem, minus bene moratam... Tamen filii hujus modi querimonias parentum minoris plerumque ducunt tamquam absoleta verba quibus ne aures quidem personent.

Ut adulescentes et aetate proveci concilientur, E. Kappeler praecipuas easque maximi momenti quaestiones, quae inter eos oriri solent, humane, vivide, alacriter tractat atque describit tum parentum et institutorum tum adulescentium consulens utilitati. Quo fit ut opus uno quasi tractu jucundissime legatur.

DE ANDRÉS, R. — *Oraciones siglo XX*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pag. 382.

Quisnam Patrem Raphaellem de Andrés ignoret, in Statione Nationali Radiophonica apud hispanos locutorem? Peritus atque indefessus rerum religiosarum per radiophonicas et televisificas undas divulgator hoc volumine quod "Oraciones siglo xx" inscribitur, parva collegit radiogrammata quae per annum meridiano tempore transmiserat, quibusque de rebus hodiernis hodiernaque hominum lingua pro hominibus obsecraverat Deum.

ZAVALLONI, R. — *Psicopedagogía de las vocaciones*, Ed. Herder, Barcelona, 1969. Pag. 392. Ptas. 300.

Operis auctor, quod recensendum curamus, investigationibus psychologiae vacat educationis, in primis quae ad questiones de adulescentibus spectat, ad praeparandos professores atque institutores, ad conformandos candidatos qui et religiosum et sacerdotalem statum expetunt.

Hoc volumine, quod plus decem annorum in investigando fructus est, conclusiones inveniuntur accuratissimae disciplinae forma ac modo elaboratae quae in scientia paedagogica maximi momenti videntur.

Quaestiones, de quibus agitur, nec locum nec nationem nec institutum certum definitumque attingunt, sed in universum spectant quorum interest et detegere et colere vocationes sacerdotales ac religiosas. In libro R. Zavalloni primum prospectum habet ad recentiore de quaestionibus vocationalibus investigationem; deinde rem et instrumenta exponit atque explicat quibus origo seu genesis vocationum investigetur earumque fiat selectio atque institutio; denique nonnullas tradit auctor normas ad renovationem conciliarem aptissimas.

THUN, T. — *La religión del niño*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pag. 255.

Institutores et psychologi, in primis autem religionis professores, minime adjumentum, quod hoc opere eis offertur, praeterire debent. Prof. namque T. Thun religionem puerorum investigare nititur, colloquiis in aulaeum pueris catholicis et protestantibus scholarum primariarum fretus.

Id sibi ergo auctor proposuit investigandum: quid cogitent pueri et quomodo quoque sese gerant erga Deum ejusque divinam operam, quo pacto

obviam Deo eant, quam de Jesu Christo habeant opinionem, quid de caelis et infernis, de angelis et daemonibus putent, quid aestiment de creatione universi, de mortuorum resurrectione, de fide et incredulitate, de oratione, de peccatis levibus et mortalibus, de conscientiae voce bonisque operis, de Ecclesia, de altera post mortem vita, aliisque quaestionibus praecipuis quae ad puerorum religionem attinent.

Nobis nihil est dubii quin institutores et magistri non nullas res novas in investigationibus Prof. T. Thuu inveniant quae ipsis magnae sint utilitati.

GRELOT, P. — *El ministerio de la nueva alianza*. E. Herder, Barcelona, 1969. Pag. 208. Ptas. 125.

Quis locus quodque est munus sacramenti ordinis in Ecclesia? Quid ab apostolis in hac re traditio suscepit? Quem ad modum intellegendum ministerium christianum Novum Testamentum nos invitat? Quo sensu "ministerium novi foederis" appellari potest? Licetne et ex quibus principiis talis ministerii participes fieri mulieres? De omnibus his quaestionibus P. Grelot Sacras Scripturas consulit elementaque praecipua ad responsa praebet. En opus utilissimum iis in primis qui investigare cupiunt Novi Testamenti scriptis et naturam et munera ministeriorum in Ecclesia.

EVELY, L. — *La oración del hombre moderno*. Ed. Sígueme, Salamanca, 1969. Pag. 189.

L. Evely novam quasi rationem orationis christianae detegere contendit hoc parvae molis sed magni momenti volumine.

Ipsam audiamus auctorem, qui orationem vindicat non esse Deum al-

loqui, sed Deum nos alloquentem auscultare; non a Deo dona exposcere, sed a Deo, quae nos donare velit, suscipere; non a Deo exaudiri, sed Deum exaudire qui a nobis expostulat; non veniam a Deo petere, sed nos ad veniam expedire, quam Deus nos donat; non Deo nos offerre, sed Deum sese nobis offerentem suscipere.

Hoc novum orandi genus insequens auctor haec habet capita: 1. Oratio ethnica et oratio christiana. 2. Deus quem exorare est jucundissimum. 3. Orare auscultando Dei verbum. 4. Vitam perspicere ad evangelii lumen. 5. Oratio et providentia. 6. Oratio et actio. 7. Oratio "Pater noster" de sensu mythologico denudanda.

MOURITZ, H. A. — *Los grandes temas del Catecismo Holandés*. Ed. Studium, Madrid, 1969. Pag. 154.

"Catechismus Batavus", tres abhinc annos jam editus, statim quam plurimas easque contrarias suscitavit sententias. Cum enim de opere per amplo ac novo ageretur, perspicuum erat quam primum varia exoritura esse commentaria. Recensionibus, quae in plurimis commentariis actisque diurnis in lucem editae sunt, praeteritis, magnopere abundat Catechismi Batavi bibliographia.

Inter opera ab explanatoribus vulgata summa perspicuitate in exponendo eminet hoc H. A. Mouritz commentarium, quod lectoribus hispanicis et hispanoamericanis commendamus. Memorati loci, qui in hujus operis paginis prostant, ad editionem hispanicam ab Instituto Superiore Catechetico in urbe Noviomago (Nimègues) recognitam pertinent; quam, ut patet, adeant oportet lectores qui integrum Catechismum Batavum cognoscere velint a clmo. Prof. H. A. Mouritz manu quasi ducti.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

FLURY, P. — *Liebe und Liebesprache bei Menander, Plautus und Terenz*. Heidelberg, Carl Winter, 1968, pp. 104.

Haec disquisitio de amore et de amoris lingua seu de verbis amorem experimentibus, in tria capita divisa, continet fructus seu conclusiones ad quas auctor pervenit postquam Menandrum, Plautum, Terentium attente patienterque legit. In primo capite, de natura amoris, Menandrum facit auctorem amoris humani, tanquam divini amoris participationis seu influxus, dum Plautus et Terentius fautores sunt amoris humani, quasi cujusdam ipsius animi stimuli seu virtutis; est ergo amor apud Menandrum quid re vera passivum; apud Plautum vero et Terentium vis quaedam activa. In capite altero exemplis variis manifestat rationem diversam qua unusquisque horum trium comicorum sensus amoris exprimunt per fictas personas, sive directe verbis, sive indirecte actionibus facieque. In tertio denique capite breviter agit de usu metaphorae seu translationis apud comicos antea laudatos, inter quos Plautus maxime emineat ut facile confirmari liquet.

HOFFMANN, O. - SCHERER, A. — *Geschichte der griechischen Sprache*. I. *Bis zum Ausgang der klassischen Zeit*. Sammlung Göschen. W. de Gruyter, Berlin 1969, pp. 147.

DEBRUNNER, A. - SCHERER, A. — *Geschichte der griechischen Sprache*. II. *Grundfragen und Grundzüge des nachklassischen Griechisch*. Sammlung Göschen. W. de Gruyter, Berlin 1969, pp. 134.

In his duobus opusculis, iterum a doctore Antonio Scherer editis, historiam invenies linguae graecae in compendium redactam, iis re vera virtutibus quibus praedita sunt omnia fere volumina hujus collectionis berolinensis, quae optimam quidem famam adeptam est toto orbe terrarum: sunt enim volumina clara, breviora, magna doctrina atque eruditione referta, auctorum notitia operumque ditata, quae res diversas quaestionesque maxime illustrarunt, ut facilis sit earum amplior cognitio; unde aptissima sunt haec volumina ad usum eorum omnium qui germanam veramque linguae graecae historiam cognoscere volunt.

TREU, M. — *Sappho, Lieder*. F. Heimeran Verlag, München, 1968, pp. 256.

In hoc volumine continentur carmina seu carminum fragmenta celeberrimae poetriae lyricae graecae, sapphici, quod dicitur, carminis et plectri inventricis, et simul testimonia praecipua ad ejus vitam spectantia una cum operum conspectu quae de ea et ejusdem carminibus agunt. Additur disquisitio quaedam de poesi lyrica Sapphi poetriae et notitiae nonnullae ad rectam interpretationem carminum. Opus hoc, quartum jam editum in hac collectione, valde commendandum putamus linguae graecae magistris, qui eo in scholis superioribus cum discipulis utantur.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

PALAESTRA LATINA

Index rerum atque scriptorum
a. 1969 et 1970

Index a. 1969 et 1790

Numeri, qui post nomen auctoris indicemque materiarum primō loco prostant, numero fasciculi PALAESTRAE LATINAE respondent. Numeris autem, qui secundo consignantur loco, paginae ejusdem fasciculi memorantur.

Disputationes praecipuae

SANSEGUNDO, L. E. — *De vera hominum populorumque libertate*, 205, 1.

SANSEGUNDO, L. E. — *Lemmata veterum horologiis solariis inscripta*, 206, 49.

JIMÉNEZ DELGADO, J. — *De Sebastiano Brant nobili scriptore Argentoratensi (1457-1521)*, 207, 97.

JIMÉNEZ DELGADO, J. — *"Stultifera navis" pervulgata Sebastiani Brant satira*, 208, 145.

GRISART, A. — *De viis ac rationibus quibus aetas puerilis per linguam et scriptores Latinos ad humanitatem informanda est vel oratio adversus vias novae linguae Latinae in scholis mediis discendae et tradendae*, 209, 1; 210, 53.

ANGELINO, V. — *Examen de Horatio*, 211, 97.

SANSEGUNDO, L. E. — *De ellipsis usu in epistulis M. T. Ciceronis*, 212, 145.

PIOVESAN, Ae. — *Quenam Phaedri fabulae vel pueros erudiendos atque educandos aptiores videantur*, 212, 169.

Carmina

CIRESOLA, T. — *Erithacus*, 205, 7.

MANGEOT, N. — *Carmina*, 205, 19.

CIRESOLA, T. — *Concordes fratres*, 206, 54.

SARMIENTO, R. — *Caus et Caus*, 207, 109.

SCHMIDT, B. - AUER, V. — *Carmina. Nona Virginis Sanctissimae ad praesepe*, 208, 155.

CIRESOLA, T. — *Urbinas peregrinatio*, 209, 13.

ALOISE, F. — *Carmina*, 210, 63.

PAONE, R. — *Job*, 211, 105.

MARINELLI, J. — *De Julii Porto carmine nunc primum edito*, 212, 157.

Textuum commentaria

MIR, J. M. — *Oratio principis carthaginiensis (Liv., 21, 18, 4-12)*, 206, 65.

MIR, J. M. — *Ciceronis specimina*, 209, 19.

MIR, J. M. — *Ciceronis specimina*, 211, 113.

MIR, J. M. — *Ciceronis specimina (IV)*, 212, 165.

Varia

MARINELLI, J. — *De re cosmonautica*, 205, 11.

D'AGOSTINO, V. — *Quaedam de Sancto Francisco*, 205, 15.

MARINELLI, J. — *De re cosmonautica*, 206, 75.

FUENTES VALBUENA, P. — *Hymni instaurandi Breviarii Romani (Annotationes)*, 207, 115.

MARINELLI, J. — *De re cosmonautica*, 207, 123.

MOLINA, M. - PAGANO, A. — *XX Certamen Capitolinum*, 207, 129.

WALLNER, G. — *Psibulum mentis*, 207, 131.

MANGEOT, N. — *De pyramidum aenigmatum et historia*, 208, 159.

MARINELLI, J. — *De re cosmonautica*, 208, 165.

ROMANELLI, P. — *Certamen Capitolinum XXI*, 208, 171.

MIR, J. M. — *De Rvmo. Dno. Hamleto Tondini epistula ad moderatorem*, 210, 49.

MARINELLI, J. — *De re cosmonautica*, 210, 72.

MANGEOT, N. — *Inquietum est cor nostrum (narratio)*, 210, 79.

DE FRANCO, H. — *Nuntius ille septem petasis indutus*, 211, 125.

Horis subsicivis

LEPOUTRE, D. — *Quanti momenti fuit in cursu mortali Jesu Nazareni Domini nostri res illa romana*, 205, 27.

MANGEOT, N. — *De Plutarchi vitis parallelis*, 206, 83.

WALLNER, G. — *Missus in mundum*, 208, 172.

WALLNER, G. — *Sucus singularis*, 209, 31.

LEPOUTRE, D. — *Primordia meteorologiae*, 210, 33.

MANGEOT, N. — *De vitae origine variae sententiae*, 211, 129. *Quid homines de animae immortalitate senserint?*, 211, 130. *De tempore*, 211, 130.

MANGEOT, N. — *Socrates Atheniensium culex*, 212, 171.

Risum teneatis

BELLOMO, R. — *Aster sagittarius clarissimus*, 205, 35.

CIPOLLA, F. — *Nolite fatuorum consilia audire*, 205, 35. *Fucetiae*, 205, 36. in operculis.

Bibliographia

ABNÉS, P. — *El matrimonio*, 212, 188.

AGNES, L. — *Cicerone, Pro Archia*, 210, 94.

AGULLO Y COBO. — *La poesía española en 1965*, 211, in operculis.

ALFARO, J. — *Hacia una teología del progreso humano*, 212, 188.

ALTHEIN-STIEL-SIER. — *Beiträge zur Geschichte un deren Nachleben*, 211, 133.

ALLARD, J. - RENAUD, J. — *Auteurs latins*, 210, 94.

ARGENIO, R. — *Ludere juvat*, 211, 139.

ARIAS, P. E. — *Storia dell'archeologia*, 206, 96.

AUBERT, J. M. — *Ley de Dios, leyes de los hombres*, 212, 189.

AUJAC, G. - LASSERRE, F. — *Strabon, Géographie, tome I, 1re. partie; tome II, 2e. partie*, 210, 92.

AVALLONE, R. — *La letteratura di Roma imperiale nel primo e nel secondo secolo d. Cr.*, 209, 40.

BABIN, P. — *Pureza*, 210, 96.

BABIN, P. — *Amistad*, 210, 96.

BABIN, P. — *Dios y el adolescente*, 210,

BABIN, P. — *Los jóvenes y la fe*, 210, in operculis.

BADOSA, E. — *La libertad del escritor*, 207, 142.

BARABINO, J. — *P. Rutilii Lupi, Schemata dianoeos et lexeos*, 209, 42.

BARDON, H. — *Actionis secundae in C. Verrem*, 209, 39.

BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittelateinisches Wörterbuch*. I Band. Lieferung 10 "benefico-Byzantius". II Band. Lieferung 1: "c-canicula", 206, 91.

BAYERISCHEN AKADEMIE. — *Mittelateinisches Wörterbuch*. II Band. Lieferung 2 (canicularis-casalinus), 212, 182.

BAYET, I. — *Epistularum ad familiares; liber VIII*, 209, 39.

BAYET, J. - BLOCH, R. — *Tite-Live, Histoire Romaine; t. VII, 1, VII*, 208, 188.

BEARE, W. — *The roman stage*, 211, 135.

BELLER, M. — *Philemon und Baucis in der europäischen Literatur*, 211, 133.

BENARIO, H. W. — *Tacitus: Agricola, Germany, Dialogue on orators*, 212, 183.

BERGERON, M. — *Psicología de la primera infancia*, 205-48.

- BERNARDI, G. — *Epistularum ad familiares; liber X.* 209, 39.
- BERTINI, F. - BARBARINO, G. — *Studi Noviani I*, 208, 184.
- BERTINI, F. — *Plauti Asinaria*, 212, 186.
- BERTOLI, T. — *Epistularum ad familiares, libri XV-XVI*, 209-39.
- BERVE, H. — *Die Tyrannis bei den Griechen.* Band I/II, 206, 91.
- BIELER, L. — *Historia de la literatura romana*, 209, 44.
- BOGAERT, R. — *Banques et banquiers dans les cités grecques*, 210, 89.
- BONNARIA, M. — *Cato Major de senectute*, 209, 38.
- BONAVIA-HUNT, N. A. — *Horace the Minsirel*, 211, 136.
- BONDEGGER, H. W. — *Intenta conocer a las personas por su aspecto*, 208, in operculis.
- BONDEGGER, H. W. — *Intenta cultivar tu memoria*, 208, 187.
- BONDEGGER, H. W. — *Intenta curar tus nervios en dos horas*, 207, 143.
- BONICATTI, M. — *Studi sull'Umanesimo* 211, 140.
- BOWRA, C. M. — *Introducción a la literatura griega*, 210, 92.
- BOWERSOCK, G. W. — *Greek Sophists in the roman Empire*, 209, 46.
- BRUCE, I. A. F. — *An historical commentary on the "Hellenica Oxyrhynchia"* 206, 91.
- BRUMBAUGH, R. - WELLS, R. — *The Plato Manuscript a new Index*, 208, 91.
- BURGER-FÄRBER-CHÖNE. — *Horaz Sämtliche Werke*, 206, 94.
- CALENDARIUM LATINUM. — *The Orbilian Society Newsletter*, 1968, 208, 183.
- CAMPS, W. A. — *Propertius, Elegies Book II*, 205, 44.
- CANFORA, L. — *Per la cronologia di Demostene*, 210, 87.
- CARCOPIANO, J. — *Les bonnes leçons*, 212, 181.
- CASTELLAN, Y. — *Initiation à la psychologie moderne*, 212, 188.
- CASTORINA, E. — *Questioni neoteriche*. 211, 140.
- CENTAUR BOOKS. — *Fasti MCMLXX*, 218, 179.
- CHAMBRY, E. — *Platon: Sophiste, Politique, Philèbe, Timée, Critias*, 212, 178.
- CHASSANG, A. - GEORGE, R. — *Syntaxe de Æv*, 210, 91.
- CHEVALIER, R. — *Litterature latine*, 212, 177.
- CHRISTIN, J. — *Los adolescentes*, 209, 48.
- CHRISTIN, J. — *Ejercicios y Retiros para adolescentes*, 209, 48.
- COLLART, J. — *Histoire de la langue latine*, 212, 180.
- CONSEJO SUP. INVEST. CIENT. — *Enciclopedia lingüística hispánica, t. II: Elementos constitutivos. Fuentes*, 207, 141.
- COPLEY, F. O. — *The Comedies of Terence*, 208, 192.
- COSTE, R. — *El hombre sacerdote*, 211, 144.
- COUSINET, R. — *La escuela nueva*, 208, 186.
- CROVARA, L. — *Heliotropia*, 208, 181.
- CURTI, C. — *Due commentarii inediti di Salonio ni Vangeli di Giovanni e di Matteo*, 209, in operculis.
- CURTI, C. — *Osservazioni sul "QUIS DIVES SALVETUR" di Clemente Alessandrino*, 209, in operculis.
- CURTI, C. — *Salonii de Evangelio Iohannis — De Evangelio Matthaei*, 209, in operculis.
- D'AGOSTINO, V. — *M. T. Cicerone, Cato maior de Senectute*. 208, 182.
- D'AGOSTINO, V. — *M. Tullio Cicerone, Laelius de amicitia*, 210, 88.
- DAWSON-COLE. — *Yale classical Studies. Vol. XXI*, 211, 138.
- DE ANDRES, R. — *Oraciones siglo XX*, 212, 190.
- DEBRUNNER, A. - SCHERER, A. — *Grundfragen und Grundzüge des nachklassischen Griechisch*, 212, 192.
- DEFRADAS, J. — *Guide de l'étudiant helléniste*, 212, 178.
- DELAUNCY, A-REMY, L. — *Poètes et Prosauteurs latins*, 205, 39.
- DELLA CASA, A. — *Il "Dubius sermo" di Plinio*, 212, 187.
- DELLA CORTE, F. — *Suetonio: Grammatici e retori*, 211, 138.
- DE SANCTIS, G. — *Storia dei Romani. Vol. III*, 211, 141.
- DE SAINT-DENIS, E.: *Columelle, De l'agriculture livre X (de l'horticulture)*, 212, 178.

- DETER, I. — *Das neugriechische Volkslied*, 211, 132.
- DE TOMASO, V. — *Il pensiero e l'opera di Miguel de Unamuno*, 207, 143.
- DEVOTO, G. — *Storia della lingua di Roma*, 209, 40.
- DE WIT-TAK, T. M. — *Lysistrata: Frede, vrouw en Obsceniteit bij Aristophanes*, 205, 39.
- DIGGLE, I. - GOODYEAR, F. R. D. — *Flu-vii Cresconii Corippi IOHANNIDOS*, 212, 186.
- DI GREGORIO, L. — *La scene d'annunzio nella tragedia greca*, 207, 138.
- DORMINGER, G. — *C. Julius Caesar, Der Gallische Krieg*, 206, 92.
- D'ORS, A. — *Pro A. Caccina oratio*, 209, 39.
- DRESDEN, S. — *Humanismo y Renacimiento*, 211, 131.
- DREXLER, H. — *M. Tulli Ciceronis Tusculanarum disputationum libri quinque*, 209, 38.
- DÜRR, O. — *La obediencia en el niño*, 211, 143.
- DUTHOY, R. — *The taurobolium; its evolution and terminology*, 211, 136.
- EDINGER, H. G. — *Cicero: On Old Age, On Friendship*, 212, 184.
- EISENHUT, W. — *Catull*, 212, in operculis.
- ELFERINK, M. A. — *La descente de l'âme d'après Macrobe*, 212, 182.
- ENK, P. I. — *Pro Sex. Roscio Amerino oratio*, 209, 38.
- ESTUDIOS CLÁSICOS. — *Bibliografía de los Estudios Clásicos en España*, 211, 131.
- EVELY, L. — *La oración del hombre moderno*, 212, 191.
- FALTNER, M. — *M. Tulli Ciceronis Laelius de amicitia*, 206, 93.
- FATTINGER, J. — *Término y Camino*, 210, in operculis.
- FEDELI, P. — *De officiis*, 209, 38.
- FERNÁNDEZ SOTO, J. — *Celebraciones bíblicas*, 207, 143.
- FINDLAY, J. N. — *La disciplina de la cueva*, 211, 141.
- FIRPO, L. — *Erasmus da Rotterdam, Il lamento della Pace*, 207, 137.
- FISCHL, J. — *Manual de historia de la filosofía*, 206, 96.
- FLURY, P. — *Liebe und Liebessprache bei Menander, Plautus und Terenz*, 212, 192.
- FREDOUILLE, J. C. — *Dictionnaire de la civilisation romaine*, 212, 177.
- FREMY, P. — *Exercices latins sur la grammaire*, 207, 135.
- FRISK, H. — *Griechisches Etymologisches Wörterbuch*. Lieferung 18; Lieferung, 19, 206, 92.
- GAGE, J. — *"Basileia", les Césars, les Rois d'Orient et les "Mages"*, 209, 42.
- GARCÍA Y BELLIDO, A. — *Las religiones orientales dans l'Espagne Romaine*, 207, 136.
- GARCÍA-SALVE, F. — *Hombreiucha*, 209, 47.
- GARRONE, G. — *Moral cristiana y valores humanos*, 212, 189.
- GARUTI, I. — *Pro M. Fonteio oratio*, 209, 38. *Pro M. Tullio oratio*, 209, 39.
- GASPAROTTO, G. — *Lucrezio fonte diretta del Boccaccio?*, 208, 186.
- GASPAROTTO, G. — *Il Petrarca conosceva direttamente Lucrezio*, 208, 186.
- GAUDEFRY, U. — *Estudios de sexologia*, 211, 144.
- GEMOLL, W. - PETERS, J. — *Xenophonis institutio Cyri*, 210, 87.
- GIARDINA. — *Pro C. Rabirio Postumo oratio*, 209, 38.
- GIL, L. — *Therapeia. La medicina popular en el mundo clásico*, 210, 93.
- GORDON, W. — *Tradition and originality in roman poetry*, 208, 190.
- GORDON, W. — *The third book of Horace's Odes*, 212, 188.
- GREIMAS, A. J. — *Dictionnaire de l'ancien français*, 212, 179.
- GRELOT, P. — *El ministerio de la nueva alianza*, 212, 191.
- GREVISSE, M. — *Le bon usage, Grammaire française avec des remarques sur la langue française d'aujourd'hui*, 207, 140.
- GRIMAL, P. — *La formazione dell'Impero Romano*, 207, 136.
- GRISON, M. — *Teología natural o Teodicea*, 209, 47.
- GUAGLIANONE, A. — *De haruspicum responsis oratio*, 209, 38.
- GUILLÉN, I. — *Oratio cum senatui gratias egit*, 209, 38.
- GUTHRIE, W. K. G. — *The Greeks and their Gods*, 211, 135.

- HAGENDAHL, H. — *Augustine and the latin classics*, 211, 137.
- HALL, J. B. — *Claudion: De raptu Proserpinae*, 212, 185.
- HANTON, A. - PREAUX, L. — *Tironum liber*, 210, 90.
- HARMAND, J. — *L'armée et le soldat à Rome avant de 107 à 50 avant notre ère*, 207, 135.
- HARMAND. — *Une campagne Césarienne, Alesia*, 207, 136.
- HAURY, A. — *Cicero, Orationes in Catilinam*, 209, 43.
- HELLENS, F. — *Le fantastique réel*, 207, 142.
- HERNÁNDEZ-VIERA, G. — *Formación manual*, 211, in operculis.
- HOFFMANN, O. - SCHERER, A. — *Biszum Ausgang der Klassischen Zeit*, 212, 192.
- ILSETRAUT, H. — *Seneca und die griechisch-römische Tradition der Seelenleitung*, 211, 131.
- IMBERDIS, P. — *Puntos de vista de los jóvenes*, 210, 96.
- INSTITUTUM ROMANIS STUDIIS PROVEHENDIS. — *Acta omnium gentium ac nationum conventus latinis litteris linguaeque fovendis*, 210, 88.
- IZQUIERDO. — *Convivencias juveniles*, 211, 143.
- JEAN -NESMY, C. — *Práctica de la Liturgia*, 209, 48.
- JONSSON, R. — *Historia: Etudes sur la genèse des offices versifiés*, 211, 138.
- JOURNEES D'ETUDES 37. — *Ministère de l'Education Nationale et de la Culture*, 208, 184.
- KAPPELER, E. — *¿Por qué preguntan los jóvenes?*, 211, 143.
- KAPPELER, E. — *Ser joven con la juventud*, 212, 190.
- KARHANS, A. — *Bauformen in Senecas Dialogen*, 211, 131.
- KASTEN, H. — *Plinius Secundus: Briefe*, 208, 184.
- KASTEN, A. — *C. Plinii Caecilii Secundi, Epistularum libri decem*, 212, in operculis.
- KIRSOPP MICHELS, A. — *The calendar of the roman republic*, 208, 183.
- KLINGNER, F. — *Virgil: Bucolica, Georgica, Aeneis*, 205, 39.
- KOESTERMANN, E. — *Cornelius Tacitus, Annalen. Band III: Buch 11-13*, 207, 141.
- KOESTERMANN, E. — *Cornelius Tacitus, Annalen. Band IV: Buch 14-16*, 207, 141.
- KOLEDNIK, F. — *Josephus Juristic: Commentarii de vita et rebus gestis Georgii Kozjak, militis janitarii Sloveni*, 209, 40.
- KRARUPP. — *De re publica*, 209, 38.
- KUMANIECKI, K. F. — *M. Tullius Cicero, Fasc. 3, De oratore*, 210, 87.
- LAMACCHIA, R. — *Epistula ad Octavianum*, 209, 39.
- LAMACCHIA, R. — *M. T. Ciceronis Epistula ad Octavianum*, 211, 129.
- LAMBRECHTS, R. — *La grammaire illustrée par César et Cicéron*, 206, 95.
- LANGLOTZ, E. - HIRMER, M. — *L'arte della Magna Graecia*, 210, 89.
- LARSEN, J. A. O. — *Greek Federal States*, 210, 95.
- LEONARD, P. — *Vocabulaire pratique du grec*, 208, 183.
- LESKY, A. — *Historia de la literatura griega*, 209, 44.
- LOUIS, P. — *Aristote: Histoire des amiraux*, 212, 179.
- LUCAS, D. W. — *Aristotle: Poetics*, 211, 135.
- LUISELLI, B. — *Q. Septimii Florentis Tertulliani De Baptismo*, 208, 188.
- MACDONELL, A. A. — *Grammatica sauscrita elementare*, 210, 90.
- MAGNAN, J. M. — *Cocteau*, 210, 95.
- MANZO, A. — *Facete Dicta Tulliano*, 212, 183.
- MARCELLINO, R. — *Martial: Selected Epigrams*, 212, 183.
- MARG, W. - HARDER, R. — *Publius Ovidius Naso, Liebesgedichte (Amores)*, 212, in operculis.
- MARSHALL, P. K. — *A. Gellii Noctas Atticae*, 208, 188.
- MARTANO, G. — *Studi di storia del pensiero antico*, 211, 141.
- MEYER, E. — *Pausanias, Beschreibung Griechenlands*, 207, 139.
- MORFORD, M. P. O.: *The Poet Lucan: Studies in Rhetorical Epic*, 205, 40.

- MORRIS, S. — *A programmed latin course, Part 2*, 210, 95.
- MOSQUERO, M. — *Ejercicios Espirituales*, 210, 96.
- MOUNIN, G. — *Historia de la Lingüística desde los orígenes al siglo XX*, 210, 91.
- MOURA, F. — *Vocabulaire Fondamental de Portugais pour Etrangers*, 209, 46.
- MOURITZ, H. A. — *Los grandes temas del catecismo holandés*, 212, 191.
- MÜLLER, G. — *Sophocles Antigone*, 208, 191.
- MYNORS, R. A. B. — *P. Vergili Maronis opera*, 211, 142.
- NARDO, D. — *Epistularum ad familiares, libri XII-XIV*, 209, 39.
- NEUMANN, W. - KERCHENSTEINER, J. — *Platon: Briefe*, 206, 94.
- NEURATH-ELLIS. — *They lived like this in ancient Greece*, 211, 134.
- NEURATH-ELLIS. — *They lived like this in ancient Rome*, 211, 134.
- NUSSBAUM, G. B. — *The ten thousand*, 208, 189.
- O'BRIEN, M. J. — *The Socratic Paradoxes and the greek Mind*, 208, 182.
- OPELT, I. — *Vom Spot der Römer*, 211, 132.
- ORAISON, M. — *Soltería y celibato*, 211, in operculis.
- OXFORD LATIN DICTIONARY: *Fascicle I (A-Calcitro)*, 206, 95.
- OXFORD LATIN DICTIONARY, *Fasc. II*, 212, 185.
- PABON, I. E. — *Pro P. Cornelio Sulla oratio*, 209, 38.
- PALLOTINO, M. — *Che cos'è l'archeologia*, 212, 181.
- PANTALEONI, M. - CALBOLI, G. — *Aloysii Galvani, De ossibus lectiones quattuor, nunc primum editae*. Thesaurus Latinitatis. Vol. I, 205, 42.
- PAOLI, U. E. — *Vita Romana*, 211, 134.
- PARATORE, E. — *Biografia e poetica di Persio*, 211, 133.
- PERELLI, L. — *Storia della letteratura latina*, 210, 89.
- PÉREZ RIESGO, J. — *Jenofonte, Anábasis, libro I*, 209, 43.
- PFOHL, G. — *Greek poems on stones. V. I Epitaphs*, 208, 190.
- PIANEZZOLA, AE. — *Epistularum ad familiares; liber XI*, 209, 39.
- PINI, Fr. — *Timaeus*, 209, 38.
- PIOVESAN, AE. — *De aliquot poëtis latinis XVII - XIX saeculi*, 209, 37.
- PIOVESAN, AE. — *De Ubaldo Bregolini poeta*, 209, 37.
- PIZARRO JIMÉNEZ, E. — *Los jóvenes y la responsabilidad*, 207, 144.
- POTIS, L. J. — *Aristotle on the Art of Fiction*, 208, 185.
- QUINN, K. — *Virgil's Aeneid, A. Critical Description*, 205, 45.
- QUINTELA FERREIRA, A. P. — *Esquilo: As Suplicantes*, 211, 139.
- RACHET, G. ET M. F. — *Dictionnaire de la civilisation grecque*, 212, 177.
- RADKE, G. — *Cicero ein Mensch seiner Zeit*, 211, 132.
- RAMNOUX, C. — *Héraclite ou l'homme entre les choses et les mots*, 209, 45.
- RIOCEREZO, J. M. L. — *Intenta encontrar tu vocación profesional*, 208, 187.
- RIOCEREZO, J. M. L. — *Intenta hacer te hombre*, 208, in operculis.
- ROBERT, Ph. — *Las bandas de adolescentes*, 212, 189.
- ROMANIELLO, G. — "Il dialogus de oratoribus" nella definitiva soluzione della "Vexata quaestio", 210, 93.
- RONCONI, A. — *La letteratura romana*, 211, 140.
- ROOS, A. G. - WIRTH, G. — *Flavii Arriani quae exstant omnia. Vol. I: Alexandri Anabasis*, 205, 41.
- ROOS, A. G. WIRTH, G. — *Flavii Arriani quae exstant omnia. Vol. II: Scripta minora et fragmenta*, 205, 41.
- RUCH, M. — *C. Nepos: Hannibal, Cato, Atticus*, 212, 179.
- SALMON, E. T. — *Samnium and the Samnites*, 205, 46.
- SALMON, E. T. — *A History of The Roman World*, 212, 184.
- SÁNCHEZ VALLEJO, F. — *Caelum ipsum petimus stultitia*, 209, 37.
- SANTA CRUZ TEIJEIRO, J. — *Digresiones románicas en torno al epistolario de Séneca a Lucilio*, 209, 45.
- SCHNITZLER, H. — *Nuevo método para aprender latín*, 208, 192.
- SCOTT, A. B. — *Hildeberti Cenomannensis Episcopi carmina minora*, 212, 180.

- SIBILIA, G. — *Sintassi della lingua latina positiva filosofica*, 207, 137.
- SOUBIRAN, J. — *Vitruve: De l'architecture, livre IX*, 212, 180.
- SPECCHIA, O. — *Platone: Epinomis*, 212, 183.
- STANFORD, W. B. — *The Ulysses theme*, 212, 187.
- STOLZ-DEBRUNNER-SCHMID. — *Storia della lingua latina*, 209, 44.
- STYRENIUS, C. G. — *Submycenaean Studies*, 206, 95.
- TAYLOR, A. E. — *Platone, l'uomo e l'opera*, 212, 177.
- THEVENOT, E. — *Divinités et sanctuaires de la Gaule*, 210, 90.
- THUN, T. — *La religión del niño*, 212, 190.
- TILMANN, K. — *Cómo dialogar sobre la fe*, 211, 143.
- TILMONT, J. - DE ROECK, M. — *Atlas classique*, 210, 94.
- TONDINI, H. — *Xanthi Viriati Scripta Latina nunc primum edita. Thesaurus Latinitatis. Vol. II*, 205, 42.
- TORSELLI, G. — *Castelli e ville del Lazio*, 212, 182.
- TRAGLIA, A. — *Poetica fragmenta*, 209, 38.
- TREGGIARI, S. *Roman freedmen during the Late Republic*, 212, 185.
- TREU, M. — *Sappho, Lieder*, 212, 192.
- VAANANEN, V. — *Introducción al latín vulgar*, 205, 47.
- VALLOT, P. *Epistularum ad familiares; liber IX*, 209, 39.
- VERNEAUX, R. — *Historia de la Filosofía Moderna*, 209, 47.
- VIAN, F. — *Quintus de Smyrne, La suite d'Homère, tome III, livres X-XIV*, 210, 92.
- VIANSINO, J. — *L. Annaei Senecae Hercules furens; Troades; Phoenissae; Medea; Phaedra*, 208, 189.
- VOGT, J. — *La repubblica romana*, 212, 181.
- VOLKMER, H. — *Dialogus de oratoribus, P. Cornelius Tacitus*, 206, 94.
- VOSSEN, C. — *Mutter Latein und ihre Töchter*, 211, 132.
- VROOM, DR. H. — *Centum Carmina*, 207, 136.
- WALTON, F. R. - GREER, R. M. — *Diodorus of Sicily, XII, Books XXXIII-XL, Index*, 205, 45.
- WARDER FOWLER, W. — *Rome*, 208, 189.
- WATSON, C. P. - REYNELL, A. C. — *Ovid's Metamorphoses*, 211, 137.
- WATERMAN, J. T. — *Breve storia della linguistica*, 211, 142.
- WEIHER, A. — *Homer Odyssee*, 206, 93.
- WEINRICH, H. — *Estructura y función de los tiempos en el lenguaje*, 210, 91.
- WERNER, O. — *Pindar: Siegesgesänge und Fragmente*, 206, 93.
- WEST, D. — *Reading Horace*, 205, 46.
- WESTERINK, L. G. — *Arethae Archiepiscopi, Caesariensis scripta minora, Vol. I*, 205, 43.
- WESTERMANN. — *Vocabulario metódico: alemán-español-inglés*, 208, 192.
- WILKINSON, L. P. — *Letters of Cicero, A selection in translation*, 212, 184.
- WILKINSON, L. P. — *Horace and his lyric poetry*, 208, 185.
- WILLETTS, R. F. — *The Law Code of Gortyn*, 205, 40.
- XANDRO, M. *De cara al porvenir*, 207, 144.
- YOUNG, CH. — *Intento tener seguridad en ti mismo*, 208, in operculis.
- ZARDO, J. — *Carmina omnia Latina*, 209, 37.
- ZAVALLONI, R. — *Psicopedagogía de las vocaciones*, 212, 190.
- ZINTZEN, C. — *Damasceii vitae Isidori reliquiae*, 207, 139.
- ZUCKER, F. — *Pro L. Flacco oratio*, 209, 39.

B I B L I O G R A P H I A

EISENHUT, W. — *Catull.* E. Heimeran Verlag in München, 1968, pp. 250.

Haec nova Catulli editio, sexies in collectione "Tusculum" dicta typis mandata, digna est omni laude, quia catulliana carmina magna cura edita continet latina lingua et germanica et notulas nonnullas quibus ea legentes rectius interpretentur. Continet praeterea duo disquisitiones, alteram de Catullo poeta ejusque carminum natura, alteram de metrica catulliana. Ceterum, ut mos est in aliis voluminibus hujus collectionis, accuratam praebet auctorum operumque seriem quae de Catullo deque ejusdem carminibus maxime agunt. Est ergo editio quae ex se commendatur et quae magnae utilitati erit iis omnibus qui ea in scholis ad Catullum interpretandum utantur.

MARG, W. - HARDER, R. — *Publius Ovidius Naso, Liebesgedichte (Amores)*. E. Heimeran, München, 1968, pp. 244.

Tres *Amorum libros* offert haec tertia ovidiana editio, ubi aliquando obscena eo impudentiae procedunt, ut stomachum moveant. Sed culpa est poetae, non editoris, qui litteras latinas atque humanitatem fovere curat, non prava mores. Ergo, si de magistris agatur seu discipulis jam rite institutis et bene moratis, nihil timendum, cum multa revera in Ovidio inveniantur maxime laudanda, quibus mens ingeniumque alatur atque illustretur: si vero de pueris vel adolescentibus haud bene cultis vel pravo fomite agitatis, rectius erit eos ab hoc Ovidii opere avertere et ad alia

ipsius vel aliorum poetarum latinorum comitari. Quae de Ovidio poeta breviter proponuntur (pp. 160-176) apprimè selecta sunt, ut veram Nasonis figuram lectores percipere queant. Post annotationes aliquas, quae Ovidii carmina explicant, opus clauditur indice onomastico, quae sine dubio utilitatem quandam praebet.

KASTEN, H. — *C. Plini Caecilii Secundi, Epistularum Libri Decem*. Heimeran Verlag, München, 1968. pp. 710.

Opus epistularum Plinii minoris in decem libros collectarum magni momenti est et rerum varietate et notitiarum ubertate; multa enim in eo leguntur in rei publicae aliarumque institutionum decus. Notissima sunt illa Plinii ad Trajanum et Trajani ad Plinium de modo agendi erga christianos, in libro epistularum decimo ("Epistulae ad Trajanum imperatorem cum ejusdem responsis", praesertim epist. LXXXVI et LXXXVII). Praeterea cum difficile sit has omnes Plinii epistulas in unum collectas volumine invenire, gratias maximas referre oportet editori monacensi ob hanc novam editionem, quae nunc nobis offert omnibusque litterarum latinarum cultoribus. Praeter epistulas latine et germanice, ut mos est hujus editionis, pauca praebet auctor de Plinio Caecilio Secundo, notulas addit ad epistulas interpretandas, nonnullas criticas lecticas, denum onomasticum indicem et toponimicum omnium epistularum. Opus certe omni numero perfectum.

J. JIMÉNEZ DELGADO, C.M.F.

Libri qui inscribuntur "TEXTOS PALAESTRA"

VENALES PROSTANT APUD OFFICINAM LIBRARIAM

EDITORIAL CLARET

LAURIA, n.º 5

BARCELONA (10)

JIMÉNEZ, Repetitorium	ptis.	70
» De Orthographia latina (altera editio).	»	20
PLANQUE-PLANAS, Gramática Griega (altera editio).	»	100
«TEXTUS» ANNOTATIONIBUS PRAEDITI		
JIMÉNEZ, <i>Historiae Sacrae compendium</i> (5 edit.).	ptis.	12
» <i>Epitome Historiae Graecae</i> (6 edit.) ...	»	12
RAMOS, <i>Corneli Nepotis Vitae</i>	»	12
MIR, <i>Ciceronis epistulae selectae</i> (2 edit.)	»	14
JIMÉNEZ, <i>Ciceronis pro Archia poëta</i> (2 edit.) ...	»	12
» <i>Ciceronis in Catilinam</i> (2 edit.)	»	12
RAMOS, <i>Ciceronis pro Q. Ligario oratio</i>	»	12
MARTIJA, <i>Vergili Aeneidos</i> (lib. II, 2 edit.)	»	16
MARTIJA, <i>Prudenti Carmina selecta</i> (2 edit.)	»	12
SARMIENTO, <i>Martialis Epigrammata</i>	»	10
ZULOAGA, <i>Horati Carmina Selecta</i>	»	14
RUIZ, <i>Hoëneri Odyssea</i> (lib. I)	»	14
RAMOS, <i>Xenophontis Anabasis</i>	»	12

Fundació Bernat Metge

SCRIPTORUM CLASSICORUM BIBLIOTHECA CATALAUNICA

Veterum Graëcorum et Romanorum textuum editiones brevi apparatu critico instructae, necnon praefationibus notisque translationem catalaunicam ex adverso adjectam illustrantibus. Volumina nuper emissa:

- 169 Tucídides - Història de la guerra del Peloponès (vol. V)
- 170 Suetoni - Vides dels dotze cèsars (vol. IV)
- 171 Tàcit - Annals (vol. V). Llibres XIV-XV
- 172 Aristòfanes - Comedias (vol. I). Els Acarnesos

Subnotationes mittantur ad:

EDITORIAL ALPHA, S. A.

Vía Layetana, 30 - BARCELONA